

Controversia in rheticis ecclesiis an. MDLXX orta de Haereticorum poena e documentis authenticis exposita

Autor(en): **Iconius, Thobias / Eglinus, Thobias**

Objekttyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1750)**

Heft 17

PDF erstellt am: **27.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394667>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Ein Dienst der *ETH-Bibliothek*

ETH Zürich, Rämistrasse 101, 8092 Zürich, Schweiz, www.library.ethz.ch

CONTROVERSIA

IN RHETICIS ECCLESIIS An. MDLXX.

orta de

HÆRETICORUM POENA

e Documentis authenticis exposita.

Continuatio I.

THOBIAS ICONIUS ad Eccles. Tigurinæ
Ministros.

S.

Clarissimi Viri, Patres colendissimi. . . . Quod deliberationem nostram adtinet, sciatis, nihil de Synodi Sententia remissum esse quicquam anathematis telo sauciis. Caussæ cur rem intactam reliquerimus hæ sunt. Advenit TURRIANUS diebus aliquot ante, quam Fratres paucissimi confluxissent: Nihil autem nisi Supplicationes Pluriensium, Prægalensium, & quorundam in ea valle Fratrum, in eodem luto hærentium, secum attulit: nullam excusationem novam, quæ satisfaceret nobis, in apricum protulit: sed tantum sibi ipsi non constans, fassus est se errasse, & se concionatum esse, plectendos & ejiciendos a Magistratu esse hæreticos, invectum autem esse in illos, qui Magistratum tantopere instigaverint ut id faciat. Præterea non esse ea ex prin-

principalibus fidei articulis in quibus accusatus sit, idcirco omnia omnibus credere nolimus. &c. Hæc fuit summa rerum quas in medium TURRIANUS attulit; quæ quomodo sibi cohæreant vel cæcus viderit. Splendide autem mentitur homo versipellis, quod ejusmodi officium Proceribus in Hæreticos pro Suggestu dederit: quin potius anathematis telum minatus est iis qui hoc senserint aut dixerint, maxime in illa concione, quam habuit in præsentia Comitissæ, Ulyssis. Ejus autem est, cum aliis, ingenii homo, vafer, ut negare, affirmare, subscribere, revocare, & nihil non facere paratiissimus sit, modo restitutus apud suos ad ingenium redire possit: Sic plures hactenus Syndicos nostras sefellerunt, qui omnia facere jussa parati erant, donec terga Fratribus vertentes eodem luto involvebantur, & proteos instar, aut Diaboli potius in omnes formas se convertere proclive illis erat. Arctius ergo animalia ista constringenda esse putavimus. Antequam vero TURRIANUS appelleret, ego Fratres Italos, qui recte nobiscum sentiunt, appellandos esse censui, ne si quid forte mutaretur, juste conqueri possint, de nostro contra se silentio: quod etsi pars adversa non probabat, neque etiam Collegæ meo id curæ erat, utpote quod rei festinandæ nihil satis festinaretur, & cuncta transigi cupiebant Turrianis amici, antequam Itali Fratres id recte pernoscerent. Ego id ita fieri prohibui, & per eosdem qui TURRIANUM evocarent, reliquis etiam rem omnem notam feci; nunquam enim, ut libere verum fatear, conventum fieri placuit, nunquam ex animo remittendum aliquid esse, censui. Consilium tamen Collegæ aspernari nolui, maxima

ex parte ab iis profectum , qui ut sunt Prægalien-
ses ita precibus eorum , in speciem saltem annue-
re consuluerunt : ego me immorigerum exhibere
nolui , inquam , eo quod rigidior alioquin quibus-
dam videar , qui ne anguste sedeant duabus sellis
plerunque sedere , sed nihil minus videri volunt .
Sed de his coram aliquando tutius . Quid autem
Itali responderint , & quanto dolore institutum
nostrum intellexerint , malo ex literis eorum rem
omnem cognoscatis , quam ex me . Multa D.
LENTULUS adducit , quæ certe ante ipsum no-
bis incumbere saepius cum Collega meo contuli .
Unum tamen haud metuebam , a LENTULO
autem non parce assertur , locum non ita facile
obtinet inter Fratres , qui etsi pauperes plerique
sint , difficile tamen in re tam seria & ardua cor-
rumperentur . Metitur nos LENTULUS aut Ita-
lorum pede , aut illorum ingenio , a quibus Val-
lis Telina regitur , quæ ut excoriationibus ejusmo-
di assueta premitur , ita non dispar corruptionis
vulnus aut maculam nobis inureret , si Procerum
nostrorum exemplum sequeremur . Dominus
autem procul avertat Simoniæ hujus mali suspici-
onem etiam . Fallitur bonus Frater , si quid hu-
jusmodi de quoquam suspicatur , si enim Fratres
expugnationi locum unquam dedissent , certe in
superiore Synodo id factum esset , ubi auro onusti
aderant sollicitatores , qui in suas partes contra
me pertraherent , quoscumque possent : Fuerunt
etiam ex CAMULII Sociis , qui mille Coronatos
solvissent , modo caussa TURRIANI non ita ce-
cidisset : tam arcte constricti sunt Croesi illi cum
suo Ministro : tam vehementer metuunt ne nidus
ille hæreticorum vigilantia nostra destruatur . Hæc
non

non somnians scribo, sed ex ejus ore qui pro
adversariis peroravit. Fateor autem & semper
præter hoc multa incommoda præmeditatus sum,
quantam suspicionem importavissimus omnibus
vel corruptionis vel levitatis & inconstantiae, si
quid de rigore & inclemencia nostra, ut dicunt,
concessissimus. Ut taceam, quanta fenestra aper-
ta fuisset complicibus TURRIANI cristas de integ-
ro erigendi. Patet ex PAULI GADII viri doctissi-
mi & venerandi Senis literis, quæ conspiratio jam
antea intercesserit inter MERUM, GANTNERUM,
TURRIANUM & Prægalienses, qui hortatu nimi-
rum MARII tam acres literas ad nos scripserunt,
quibus Acta Synodi tanquam blasphema & gloriæ
Dei adversa proclaimant. Si quid vel tantillum
etiam TURRIANO exuli & Rhaetorum subdito
concessum fuisset, bone Deus! quanti hinc clamo-
res exorti fuissent, cur non potius MERIO &
GANTNERO Civibus natis hoc beneficium osten-
deremus? Sic meo judicio, auctoritas Synodi
non modo intercidisset, sed quicquid in turbato-
res & Academicos nostros definitum esset majo-
ribus nervis contemptum fuisset. Ego autem non
miror Prægalienses casum TURRIANI tam mole-
ste ferre: præter enim antiquam consuetudinem
cum ipso contractam, ejusmodi, & Castahemi &
[in] Vicosupranensi Ministros habent, qui hæreti-
cos a gladio Magistratus vindicant, & nihil illis
viris concessum esse in præfractos publice decla-
mant. Nec ita pridem Vicosupranensis pastor se-
nex, sed insipidus & indoctus D. JO. BAPT.
MULLERO contra ipsum disputanti respondit,
D. ZWINGLIUM s. m. Virum sanguinarium,
præterquam meritum Anabaptistarum cædes &
fan,

sanguinem sitivisse. Non facile contra alium balatum seductæ istæ oves evomunt, præterquam quem ex pastore præeunte didicerunt. At isti & nostrum Magistratum & nos omnes suo q. imperio movere volunt, ut TURRIANUM suæ Ecclesiæ reddamus. Sed & Lentulus Literis suis adjectit epistolas CAMULII Basilea olim Plurium &c. scriptas, nuperque in Synodo recitatas, ut iis regustatis, conspirationibus illorum minus fidemus. Cum Acta Synodi ad vos mitterem, excepti quædam ex ipsis Literis, quæ bona fide me excepisse, ex Scripto LENTULI deprehendetis. Latinas fecit eas literas LENTULUS ex Italica conversas, sed utroque idiomate Synodo expositæ, & nihil explosum. Videbitis ergo facile quam innocui sint & CAMULIUS & TURRIANUS. Nec sincere sentit de Tigurinis homo ille nummosus, licet OCHINI exilium moderate caussis adductis deplorare videatur. Addiderunt Fratres Itali nova quorundam hominum testimonio roborata, qui ante paucos annos cum CAMULIO disputationes absque omni involucre Arianismum in ipsis nebulaonibus olfecerunt. Simulat CAMULIUS ignorantiam & se simpliciorem esse arbitratur, quam ut de Trinitate quicquam ratiocinetur; at ex testimoniorum illis bonorum virorum liquet, Scripturis etiam illum pugnasse, & Athanasium naso suspenso Sathanas vocitasse. Hæc & alia nobis sufficiant, unde conjiciamus, quid commeruerint illi, qui sese extricare frivolis suis excusationibus nituntur. His omnibus ergo cognitis, Fratres, quorum VIII. tantum advenerant, unus tantum ex superiore Fœdere, nullus autem ex Ingadina, præpediti cœli inclemens, nihil huc aut mutare aut mitigare,

mitigare , aut denique tollere voluerunt. Rogatus
 primus D. Collega meus , conscriperat suam Sen-
 tentiam , eamque Scripto dabat , cui tamen inniti se
 nolle protestabatur , si secus Fratribus videretur : Fuit
 ea , ut reciperetur TURRIANUS , his tamen legibus ,
 a.) ut Symbolo Athanasii denuo subscribat . b.) Er-
 rores & conversationes cum hæreticis libere fatea-
 tur . c.) Fateatur justam Synodi sententiam . d.) Ca-
 veat a commercio Hæreticorum , nec eos foveat
 porro . e.) Placeat ut sumtibus Pluriensis Eccle-
 siæ duo vel 3. mittantur , coram quibus publice
 concionetur de Unitate & Trinitate Dei , de natu-
 ra Christi , de Virginitate Mariæ , de statu anima-
 rum , de Magistratu & officio ejus , de quibus
 omnibus jam olim suspectus fuerit , ut ea omnia
 disputet , palam confutet , & Fratribus satisfaciat .
 Reliqui omnes Fratres in meam Sententiam , quæ
 diversa fuit , descenderunt : Non videbatur enim
 omnino non videbatur , neque jam antea visum
 fuit , in paucorum potestate situm esse , infringe-
 re , quod a tota multitudine Fratum sancitum &
 statutum esset . Neque est ut quisquam nobis obji-
 cat , ad quid operam inanem ludere voluerimus ,
 si nihil mens nobis erat decernere ; hoc enim quod
 instituimus Prægaliensium impulsu fecimus , qui
 importuni Pluriensis Ecclesiæ faciem tam defectri-
 cem & laceram nobis depinxerunt , ut Religio pro-
 pe multis esse inciperet , ejus rei gratia non con-
 venire , nihilque deliberare . At non nihil delibe-
 ratum est , cum illud ipsum nihilum deliberatum
 fuerit : ne si inclemenciacalumniam evitare conati
 essemus , in levitatis & inconstantia crimen pro-
 tinus incidissemus , sicque duplicato malo , gla-
 dium invidulis illis nostris & hæreseis patronis &
 fulcris ,

fulcris , contra nos ipsos in manus tradidissemus .
 Arbitror etiam fatalem hanc actionem nostram o-
 mnino fuisse , cum cœlitus impediti Fratres ad
 diem præscriptum adesse non potuerint , ne quid
 in Sententia lata immutaretur . Summo autem
 mane MERIUS æstuans , eo die conspicuus in
 equo fuit , quo initium fieri debebat : Statim au-
 tem ne nos salutaret , nimirum cum GANTNE-
 RO consilio facto , in pagum suum sese contulit ,
 ubi ad literas meas Synodi nomine scriptas ad
 communitatem , ocyus fuit explosus , & aliis lo-
 co ipsius in ministrum huic loco electus . Accusa-
 tus quidem fuit a Præside , at ipse mollior nunc
 factus aliquot vini Rhetici seriis , seipsum turpis-
 me nunc exhibit . Communitas autem neglecta
 Præsidis profani inconstantia , officio suo non
 defuit , ubi caussas cognovissent , quæ nos ad de-
 ponendum MERIUM impulissent . Nunc hinc at-
 que inde vagatur , conqueritur , bellum novum
 indicit , seducere nos plebem calumniatur , nihil-
 que non attentat , ut sui similis semper reperia-
 tur . GANTNERUS autem suis rusticis ita inse-
 dit , ut literas , quas Synodi nomine ad ipsos scri-
 psit , suppresserint , neque ex more patrio toti
 Communitati recitatæ fuerint . Volui illos denuo
 monere , ne contra leges & Dominorum trium
 Fœderum Decreta GANTNERUM in officio &
 concionandi munere porro usurparent , fore enim
 ut facti sui difficilem sint reddituri rationem . At
 rusticci illi susque deque ferunt omnia , & jam an-
 tea in illo Fœdere Dayosii apud Syndicos obti-
 nuerunt , ut novus aditus daretur GANTNERO
 denuo se excusandi apud Fœdera ad S. Martini
 comitia hic congreganda . Obtinuerunt equidem ,

&

& soli GANTNERO plus creditur, quam nobis omnibus additisque Viris trium Fœderum nomine. Contulimus hanc injuriam & impudentiam nuper cum Ammano Davosiense *Petro Guleru*, qui D. Jacobi Wicci olim fuit convictor. Respondit ille se non annuisse, potiorem tamen partem fuisse, qui GANTNERO concederint ut in statione sua perget, & suam innocentiam, quam artibus & violentia nostra contaminatam oppresserimus, de novo coram tribus Fœderibus afferat. Hoc obtinuerunt exclusi nostri! huc spe nova accensa unice spectant, & Münzeriana confidentia superiores se contra nos futuros sperant. Mirificum votum & consilium, apud eos victoram sperare, quorum opera palam facti, caussis suis exciderunt. At exemplo isto non obscurum est videre, quantum ex Proceribus multi sibi constent. *Gulerus* inquit, se non annuisse, sed GANTNERUM objurgasse, dicentem se quidem, sed contra conscientiam, subscriptisse. At idem *Gulerus* aegrefert, quod SYLVIUM excluserimus, qui insulso suo Scripto se opposuit Magistratus edicto, idque nulla alia caussa, nisi quod olim Prætor Trahonnensis, ubi SYLVIUS excubias egit, notitiam synceram illius hominis habuerit. Ideo, etsi *Gulerus* dictus non annuerit, non tamen propter SYLVIUM suum fortiter, ut debuisset, sese Rusticis opposuit, quod facile potuisset, cum autoritate in toto isto Fœdere valeat. Conjunget his operam suorum amicorum TURRIANUS, adeo ut nihil aliud ad futura Comitia ausim sperare, quam clamores, turbas, & verbera etiam, si licuerit. Miror autem, quid Domini Rhætorum sint responsuri, qui omnes prius actiones Synodi

tanta concordia , tanta animi benevolentia con-
 firmarunt . Conscripta etiam est tota illa caussa
 inter GANTNERUM & me in pergameno , ubi
 accusatio , responsio & Sententia ita expressa est ,
 ut manifeste etiam declaratum sit , illos neque
 pro Ministris & Fratribus sive Pastoribus nos aut
 posse , aut velle agnoscere , qui lupos manifestos a
 Magistratu ab ovili repellendos esse inficiarentur .
 Possimus etiam manum GANTNERI videndam
 & tangendam Dominis exhibere , qua nobis ac-
 cedendo errorem suum retractavit , licet postea
 publice dixerit , se id contra conscientiam fecisse ,
 unde impudentia istius hominis & levitas exemplo
 carens eo turpius in apertum proferetur . Cum
 ergo Praeses Profanus , cum multi alii Proceres ,
 communis pacis ergo operam minus strenuam na-
 vent , neque jam longo tempore iteratis suis pro-
 missionibus , ceu torpentes & tepidi , stare velint :
 insuper Rusticorum quorundam tanta sit insolentia ,
 ut sese publicis ordinibus temere opponere
 non erubescant , apudque plures infectos , suspe-
 ctos nos GANTNERUS & MARIUS fecerint , qua-
 si pharisaica & pontificia tyrannide , perque vim
 contra ipsos egerimus , certe (ut ad secundum
 actionis nostræ caput deveniam) electi sunt VIII .
 Fratres , qui ad Comitia Martini Senatum trium
 Fœderum ingrediantur , & singulari vehementia
 conquerantur , quod multa Synodo promittant ,
 nihil autem præstent ; quod blasphemos Arianos
 in ditione sua tolerent , quod Scholas & Ecclesias
 minus curent , quam si nutriciorum curam & pro-
 vinciam aliis omnem demandassent ; quod impu-
 ne omnia graffentur , hæreses , Sodomiræ , fa-
 ctiosi , immorigeri , nulla legum & constitutio-
 num

num reverentia territi , facillime locum inveniant ,
 denique patrocinium etiam nanciscantur , qui se
 publice contra Synodum & Dominorum statuta
 opposuerint . Nisi aliter res geratur , paratos nos
 fore , omnia privilegia olim a Majoribus nostris
 impetrata , omnia Diplomata , quibus Acta sin-
 gularum Synodorum ipsorum autoritate , sed in-
 cassum , confirmata sint , reddere , & penitus
 abolitis Synodis negligere ; nec posse nos secus fa-
 cere , siquidem magnis sumtibus & sudoribus an-
 niversarias celebremus Synodos , quibus vel ipsis
 testibus , nihil quam pacem Ecclesiæ & honorem
 Reip. quæramus : ipsi autem , si quid fabricatum
 fuerit , non modo suo civili baculo non in opus
 & effectum educant , sed insuper Synodum tradu-
 ci , negligi , & in cæno conculcari facillime pa-
 tiantur : Satius ergo esse Fratrum loculis parcere ,
 quam oleum & operam perdere . &c. Hæc &
 alia acriter illis proponendi provincia mihi deman-
 data est : At Deum immortalem ! nescio quid sim
 facturus , quum malorum ingenia mihi sint co-
 gnita , & vix nos audiant , si cum gratia & ani-
 mi lenitate quid suppliciter petamus . Metuo cer-
 te si Fratrum imperio parendum fuerit , ne ad car-
 ceris aliquam cloacam me extemplo sint deductu-
 ri . Si quid impetramus , ut sciatis quamprimum
 efficiam . Certe D. Willius , qui ex infelici partu
 uxorem suam , singulare pudicitiae ornamentum
 nuper amisit , optime nos jubet sperare , in me-
 moriam nobis revocans anteactam GANTNERI
 jactantiam , ex qua ceu ex parturientibus monti-
 bus præter ridiculum murem nihil enatum sit :
 Eundem in modum nunc quoque cœli ruinam mi-
 nari , cuius pondere ne prior gravetur ; sibi ca-

-veat. Sed de his hactenus. - - - - Vos
quæso Patres colendissimi loquacitati literarum
ignoscite, vobisque me semper commendatum
habete. Resalutant vos D. Cols. D. *Campellus*, D.
Pontif. D. *Carolus Bonettus*, &c. Ocyssime. 1571.
Cal. Octobr. Curiæ.

Dominationi vestræ add.

Subjectiss. TH. IConius.

THOB. ICONIUS ad H. BULLINGERUM
d. 29. Octobris 1571.

Nimirum quod agam habeo: citius enim Euripi
pus æstuare desinet, quam MERIUM &
GANTNERUM novis subinde furiis agitari. ME-
RIUS jam ante Davosii & nuper 14. hujus mensis
Fanafii in publico, coram tota multitudine Ru-
sticorum, infinitis calumniis Tigurinos, Berna-
tes, nosque præsertim Curienses, quos Episco-
pos per contemptum & Pfaffos stolatos vocat, im-
puidentissime proscidit. Tigurinos stercore suo
simplicium oculos oblinere, ita ut veritatem vi-
dere non possint, aperte dixit: imo seducere eos
insana doctrina miseram plebeculam proclamavit.
Cumque a viro quodam honesto & gravi objur-
gatus esset, quod Ecclesiæ illas immodicis suis di-
cterioris præter meritum incesseret, regessit, ja er
habe es thon, und wölle denen von Zürich noch
has einschenden. &c. Hæc constant, & multorum
piorum testimoniis probari possunt. Quod ad nos
adtinet & totam Synodum, improbe coram om-
nibus Rusticis facto in communione silentio ca-
lumniatus est: Nos tyrannide nostra violare leges
Rhætorum publicas, eripere popularibus privile-
gia & libertatem, quam hactenus in eligendis &

reti.

retinendis Ministris studiose observarint: hoc nunc
mutari, deiici, abigi & Ecclesiis abripi per no-
stram libidinem, qua novos, exterios, circumfo-
raneos nebulones & pueros, abrogatis civibus &
indigenis, subornemus, qui nobis Pontificibus
tantum supplices fiant, nosque adorent: reliquos,
qui frænum nobis injicere possent, cane & angue
pejus aversari: Hinc etiam multum se tripudiare,
qui improba ista societate nostra pertæsus, sum-
mam sibi distractionem nobiscum esse contingat,
ceu cum mendacibus, & ne uno quidem altero
meliore. Pervertit autem Sathan ille & prodi-
orie ad nos transfert, quod olim, dum omnes
Pontificio luto inhærerent, in Episcopis Antichri-
stianis recte castigatum fuit. Cum omnes enim
Communitates stercus pontificium adhuc sequeren-
tur, Episcopis non Religioni sed laudi fuit obtru-
dere Communitatibus Sacrificos qualestunque,
quos missos & sacratos, etiamsi adulteri & homici-
dæ fuissent, retinere cogebantur: mutandi vero
vel deponendi potestas penes Episcopum solum
recumbebat. Hæc tyrannis abolita est in Eccle-
siis illis Rhæticis, quæ luce veritatis illustratæ,
Ministros suos suffragiis publicis & communibus
nunc eligere & deponere possunt. Simul vero ne
rustici licentius agere possint, Synodos institui cu-
raverunt, Rhæti Domini, quas certis privilegiis
& diplomatibus, quæ in manibus habemus, or-
narunt, ut nemo nisi examinatus, probatus &
legitime missus suggestum concenderet: Si qui
vero sponte currerent non missi, non approbati,
Synodove certas ob caussas contrarii ejusdem jussu
& authoritate e statione dejicerentur. Nunc con-
citare videtur Rusticos honio ille discolus, eo ma-

xime nomine , q. patriæ ipsorum libertati & legibus insidiemur vi , artibus & quibuscumque modis possimus . Finis autem MARIO propositus etiam est , ut se iterum apud suos , unde expulsus est , ingerat , nobisque invitis Samaritanorum ducem se præbeat , quorum nocturnis & clandestinis insidiis , opus veræ Ecclesiæ impediatur . Sed ut conatus ille improbus autorem suum egregie delusit , frustratus est , atque palam fecit : ita brevi erit , dubio procul quod temeritatis suæ pœnas quoque luat . Nunc ad GANTNERI pervicaciam venio . Is statim post finitam Synodus contra conscientiam sese subscriptisse professus est ; perstare se in sua sententia nihilominus quam antea : vi , artibus & technis nostris superatum fuisse , perindeque ut Christus a Phariseis , ita a nobis oppressum se esse subinde conqueritur . In ius etiam 18. Octobris vocavit Symmistam suum JO. GERUM , quem expulit e suo Sacerdotio , quod & ipse GANTNERUS sua manu contestatus est : nunc jure cum eo agit , quod hæc de ipso spargat , & Anabaptistis favere rusticis retulerit : quasi vero Synodus testari de omnibus nequeat , de quibus astutissime dilectum illum Fratrem accusavit : At judices hujus loci cauſam illam suspenderunt usque in mensis spacium : iterea temporis respondebit GANTNERUS alibi , ut mox subnectam . Hoc vero memorare oportet . Cum in judicio publico apud S. Petrum Schanuiciæ ligarent , publice atro carbone nos notavit percitus cœstro GANTNERUS , dixitque : Se quidem damnatum esse , sed absque ullis cauſis legitimis & necessariis , & nullum magistratum habere potestatem ipsi interdicendi concionandi munere . Testabitur

stabitur hæc & alia enormia totum Judicium. Voleuit autem opera suorum rusticorum opprimere GANTNERUS GERUM, quod adjutus testimonio aliquo innocentiae fucatae viam & aditum sibi pararet compellandi civium Senatum, qui hoc tempore, quo Magistratus fit electio, frequenter habetur: Sperans se nihil non impetraturum, si copia sibi fieret denuo se purgandi. At miser & insanus homo non modo repulsam passus est: Sed ita a patrio Senatu depexus factus, ut iracundus abiens, nihil porro se a Magistratu postulaturum sit minatus. Quandoquidem ergo uterque istorum tantis obtrectationibus bonos omnes gravarit, omnino officii nostri esse duximus, Magistratui trium Fœderum tot injurias conqueri, apudque ipsum deponere. Ingressi ergo nuper in comitiis Senatum, quid moliantur isti palam fecimus: rogavimusque Dominos trium Fœderum, ut MARIUM & GANTNERUM ad comitia futura Martiniana suo imperio evocantes sistant nobis super omnia, quæ in ipsis desideramus. Annuerunt Domini, & se citaturos homines istos benevolè permiserunt. Hunc diem finem aliquem allatum huic controversiæ nostræ speramus. Faxit Dominus, ut prudenter fortiter & modeste transigantur omnia, in nominis sui sempiternam gloriam & Ecclesiæ salutem. Amen! . . . Vale Pater colendissime! Deus te & reliquos erigit & firmet! Salutant te omnes, quos salvere jussisti diligentissime, cum primis D. Campellus. 1571. 29. Octobr.

D. T.

Subjectiss. TH. Iconius.

H 4

Idem

Idem ad Eumdem.

S.

Ultimas tuas accepi, Reverendissime Domine? tuamque excusationem D. Cos. ampliss. legendam exhibui, qui certe tecum non frustra miratur, te multis modis oneratum & afflictum scribendi tamen munere non supersedere. Cogor autem aures tuas, imo animum S. C. nostro adversus GANTHNERUM cognito nonnihil exhilaratum, de integro gravissime vulnerare. Serio quidem dimissus fuit, sicuti exemplum Decreti, de manu D. Cos., qui in Scribae gratiam composuit primo, descriptum, ipsique GANTHNERO per publicum statorem transmissum abunde testificari poterit. Non autem sine causa alius electionem in redditum D. D. Cos. suspendere GANTNERI fautores voluerunt: interea enim temporis malis artibus imbuti astutissima consilia comportarunt, GANTHNERUMque, sponte sua aliquin currentem incitarunt, ut omnem rei eventum, totamque caussam Senatui & Civibus, sc. frequentissimo Magistratui numero 70. Vitorum constante, conquereretur; sperans se hoc extremo conatu supra quæque impetraturum. Tertio ergo Novembbris cum jam ex Comitiis reversi essent Dn. Cos. præter morem patrium in maximum Senatum GANTHNERUS chartaceis telis bene ut sibi videbatur munitus, ingressus est: multis conqueritus est de injuria sibi facta, & concionibus suis a malevolis ex odio & invidia in pravum sensum detortis: se nec ita unquam sensisse, neque in hunc modum, sicuti sinistre quidam interpretantur, sentire adhuc hodie. Fieri & perverti sibi omnia & dicta & facta ex odio & zelo maligno. Simul autem

autem (subit Proverbium: Malum consilium consultori pessimum.) dum se purgaret, sibique ipsi contrarius esse inciperet, e sinu depromsit longissimam chartam, in quam mille diversorum Partium Sententias de non puniendis Hæreticis, conjectas tragicò clamore temereque effudit. Adduxit Augustinum, Hieronymum, Tertullianum, & cum primis præstigiatorem Brentium, qui hominibus cœlum cum inferis miscuit & obscuravit, hunc mirificis elogiis in astra usque adeo evexit, ut post illum omnes nostræ tempestatis Viros longe doctissimos & sobrios odiose perstrictos reliquerit. Brentii argumenta elumbia, quæ tractat in libello quodam, in quo Quæstionem illam, *Num Magistratus jure possit occidere Annabaptistas*, ex professu agitat, prope omnia recitavit, miroque clamore & insano ejulatu locum de zizaniis non eradicandis ad tædium usque omnium repetiit: Audite Verbum Domini clarum & expressum, *Ne extirpetis*; *Ne evellatis.. &c.* Audite inquam. &c. His absolutis operam suam toties sponte denegatam iterum obtulit, seque Civem esse crebro inculcavit, q. hominis exteri gratia (quod nemo exceptit) minime, licet erret & seducat alios, eliminandum et amovendum. Ad minimum autem spatiū unius horæ clamando contrivit. Egressus Sententiam foris non exspectavit, ita arroganter de se sensit, dandam, sed ocyus cum stomacho, quem tamen egregie refrigeraverat, domum sive in ædes Soceri sui se contulit, sperans nimirum, eo omnium animos flectendo intemperativa loquacitate sua compulisse, ut non modo sit restituendus, sed precibus aut pallio etiam trahendus. Quid autem? Quandoquidem turbas

excitare non veretur, et perfectissima fronte Se-
natum minorem, Patres sc. conscriptos pudefa-
cere conaretur, quod scripto talem Sententiam illi
decrevissent, qua concionandi munere domi fo-
risque prohiberetur: tandem Ampliss. D. Cos.
quem GANTNERUS maxime suspectum habet
illati damni, quod sibi ipsi intulit, ejusmodi me-
decinam repperit, et suasit, ut mihi mandaretur
sex aut septem Fratres, quos maxime idoneos
huic negocio censerem, ex Fœderibus tribus evo-
care Magistratus sumtibus, quorum opera et con-
silio quæstio illa diligenter excuteretur verumque
eliceretur, et victus veritati GANTNERUS cede-
ret, erroremque suum relinquere: cuius consi-
lli et sententiæ pars potior et longe major Sena-
tus extitit: Plures tamen et tres eximii, homines
tamen Epicuræi medicinam istam aversati, GANT-
NERUM posthabitum omnibus, restitutum volue-
runt officio, quos certe non puduit seipso mendacii et levitatis exemplo carentis criminis con-
demnare, quod serio adeo prius dimissum tam
impune receptum velint. Volunt Anabaptistas
ejectos, interim fautores et patronos eorum reti-
nere summo studio contendunt, ideo autem con-
tendunt, quod GANTNERI opinio, ad fidem
neminem cogendum esse, Epicureis et hominibus
atheis pulchre applaudit et arridet: quod certe
pro suggestu ex occasione contextus Julianis qui-
busdam aperte objeci. Vesperi ejus diei, quo
pedibus itum est in hanc Sententiam, ut convo-
catis quibusdam Fratribus, dijudicaretur S. Litte-
ris, num quisquam ob Fidei caussas urgendus
aut puniendus sit, numque FRELLUS noster sic
revocandus et tolerandus impune, nec ne: Ipse

GANT.

GANTNERUS ad D. Coss. W. se conferens reliquam stipendii sui summam exposcit, et q. filius ejus caussæ gratia accesserit, arroganter præse tulit: Tum D. Cos. Senatus & Civium majorum Sententiam illi aperire, utque meliorem mentem induceret, ad frugem revocare, precibus instare, ne ita temere in receptam Confessionem tumultuaretur; spectare ejusmodi pertinaciam ad motus & turbas civiles, quibus in mundo nihil miserius nihilque sit perniciosius. GANTNERUS nescio quam bene *Brentio* suo fidat, statim ad cognitum Dominorum Decretum respondit: Ego non peto mihi Synodum congregari, neque debent res ejusmodi Fidei, suffragiorum humanorum multitudine superari & vinci: Unusquisque peculiarem loci alicujus Sensum sibi affingit, quem si multi etiam alii teneant, me statim multitudine nimirum sua, non veritatis testimonio debellabunt. Et quis Judex futurus esset disputationis? Quasi vero, Respondit D. Cos. Verbo Dei Judice destituamur! Regeffit, siquidem autem THOBIAE id muneric datum sit Fratres convocandi, vocabit ille ejusmodi, qui modis omnibus sibi placent. &c. Multis, sed frustra cum illo egit: detrectat nim. se Synodo subjicere, metuens ne postrema fiant deteriora. Nihil se peccasse in Confessionem Tigurinam denuo regessit: Ubi D. Cos. Quid tu mi *Gantnere* loquaris quæso penitus cogites: Nescis Anabaptistas secundum Confessionem illam non favendos, non defendendos. Regerit homo arrogans: Non minor Tigurinos odium suum in Anabaptistas Confessioni huic inseruisse: Ab initio enim Reformationis insontes homines Anabaptistas suppicio etiam

am affecerunt, & vita privarunt; propterea cum prius tantam severitatem in ipsos exercuerint, non potuerunt nunc præ pudore ab insectatione illorum manus abstinere, sed in Confessione aliis quoque persequendos bonos ejusmodi homines propinarunt, ne videlicet ipsi Tigurini ab initio præter officium fecisse videantur. Ecce quibus calumniis Tigurinos homo ille premat, & quid animi habeat! Cum Brentianos & Tertullianos sc. ad hæreticos deficientes tantopere celebret, qui Confessioni receptæ omnibus modis repugnant, solis Tigutinis maledicit, quorum Confessioni ipsem GANTNERUS, ut Liber & Codex Synodalis prohibet, olim sua manu subscripsit. Respondit D. Cos. non Tigurinos modo, sed & Bernenses, & multos alios primates Anabaptisticos feroce non ferre: Imo in modo peractis Comitiis Davosii celebratis a tribus Fœderibus Decretum illud de extirpandis & ejiciendis Sectariis renovatum & confirmatum esse. Resp. Non posse se salva conscientia hoc dogma recipere, propterea recte se docuisse; Ad Eudem neminem esse cogendum, nihil egisse exilio dignum, tolerari multo nequiores intra mœnia. &c. Posthæc recessit a Cos. Ubi recessisset, me statim (utpote rerum omnium ignarum) per ancillam ad se vocat D. Coss. quidque actum sit, quantisque artibus & viribus lupum restitutum voluerint. Mirabar certe GANTNERUM adeo impune ampliss. Senatui ausum fuisse illudere & iniustæ Sententiæ condemnare. Placuit, ut quamprimum Senatus iterum habebitur (habebitur autem post mercatum. - - - -) GANTNERI repulsam proponat diffidentis nimis caussæ suæ, & statim post denunciationem illam,

illam , alium eligendi curam habeant. Cum autem D. PONTISELLA , qui nunc resipuit , & partes nostras acriter defendit conscientiae testimonio victus , decumbat , mercatusque noster sit præ foribus , consilio amborum fiet , ut rejiciatur hoc quicquid est negocii post mercatum. Si alium (siquidem GANTNERUS Fratrum judicia abhorret , & Spiritus sui patefactiones & oracula somnolenta adorat) eligent , neminem vocabo. Si autem nova monstra aient , & vi aperta , aut artibus restituere GANTNERUM voluerint , convocabo plures Fratres , & iis de caussis (ut nuper scribebas) Senatum nostrum solicitabo , ut scribat ad vestrum Ampliss. Senatum & roget , ut mittat aliquem ex choro vestro , nostri colloquiū testem , & superintendentem. Sed scio quid futurum : Non deerunt , qui statim oggiant , o quid Tigurinos accersimus ? Caret ne Rhœtia doctis Viris , qui litem hanc dirimant ? Sed scurras ejusmodi ne curemus. Incumbam totis viribus , ut evocetur unus aut alter. Interim omne Ecclesiæ onus cervicibus meis incumbit , & si saltem aliquam contrariæ Sententiae & opinionis mentionem ex officio facio , statim excipior a Gantneri fautoribus : o peregrinusne ille civem nobis turbabit officio , urbe expellet ? Potius civem retineamus , hominemque externum & inflatum rejiciamus. Sequuntur hinc contentiones rixæque frequentes inter viros & mulieres inter se dissectas , adeo ut parum absit , quin ad pugnas spectent multorum licentiosæ obtrectationes. Hoc vero dixero : Si GANTNERUS recipitur , nec publice retractaverit , & resipuerit , in officio esse ego non potero , utut paterne moneas , ne cogitem de

de decessu in Ecclesia tam perturbata. Prodere veritatem nolo, nec debeo. Si ingenium ille obtinuerit, ego vero diversum docuero, res spectabit ad arma, quod ex multis indicis colligere nunc etiam non difficile possim. Potius cum gratia vestra abibo, quam dissidii intestini authorem me (ut putant alii) præbere. Excitat turbas non ipsa veritas, sed latro ille Joan. VIII. depictus. Non autem dimittent G. isti homines, ergo extrudar ego. Toties etiam sugillat Tigurinos homo impudens, ut responsioni & excusationi justæ occasionses locupletes dederit. Quid autem tibi videatur de libello *Brentii*, quæso fac mature sciam. Hæc media nocte.

* * *

S.

DEo Patri ac vindici suæ ecclesiæ Iesu Christo sit laus ac gloria sempiterna, qui e faucibus imanissimorum luporum pusillum suum gregem indies magis magisque dignatur eripere, & Rhæticis Ecclesiis pacem creare, insidias detegere, lupos arcere, hostesque cruentos, Antichristi putida mancipia, pudefacere. Lusum enim jocumque dixeritis, Colendissimi Patres! quæ jam antea ex antlavimus, si hodiernam victoriam, quam Dei gratia consecuti sumus, probe consideraveritis. Citavimus per trium Fœderum literas [sicut ultimo scribebam] MERIUM, GANTNERUM, CHRISTOPHERUM Cremetum Arianum, & si qui alii ex Communitatibus & earum Ministris inobedientes hactenus fuerint; ut per Dominorum diploma evocati se trium Fœderum Senatui sistant, & suarum calumniarum & contumaciæ rationem reddant.

dant. CHRISTOPHERUS ille qui Afinorum comparatione blasphemie usus erat, furtiva etiam & turpi fuga sibi consuluit. MERUS convitiator impudens domi remansit, reique eventum exspectans per amicum quemdam alium excusari contus erat. Sed cum causa & ipsius & GANTNERI agenda esset, καὶ τὸ οριόμενον tractandum, uterque se ex curia subduxit. 17. igitur die hujus mensis, intromissi in Senatum, tanta diligentia, tantoque serio caussam illam nostram egi, ut benignis auribus Patrum impetratis, praelonga oratione omnium citatorum artes & insolentiam ita depinixerim; ut GANTNERUM post Festum, deinde iterum apparentem ne audire quidem voluerint. Sententia vero ejusmodi lata est in omnes. Quia MERIUS hæreticorum fulcrum non modo se cum GANTNERO fecerit, sed convitiis etiam confederatas Ecclesias libidinose prosciderit, decretum est uno ore, ut sine mora in exilium relegetur, atque a Dominio trium Fœderum, sine ulla excusatione ejiciatur. Idem etiam in GANTNERUM definitum est, nisi subscribendo hoc ipso tempore satisfaciat nobis, quod cum statim in præsentia D. Coss. detrectaverit, nihil aliud ei incumbit, quam ut amissio civitatis jure aliam sedem quærat, suæque insuperabilis pertinaciæ condignam mercedem recipiat: Quod tamen ut maturè fiat, per Magistratum nostrum satis indulgentem perficietur, qui aliter certe ac mitius agere nequit, cum omnia remedia mitiora frustra adhibuerit: animosius etiam istam GANTNERI ferociam compescere nunc audet, utpote confirmatus a Civium Curiensium Senatu. Postquam enim 27. Octobris repulsam passus est, neque temerarias & futilles

Ies suas querelas coram tribunitia potestate deponere posset; Nos duo Ministri, ob clandestinas calumnias GANTNERI, quibus nos causamque illam definitam & transactam criminose ubique obruit & gravavit, 10. Novembris in Civium Senatum [qui constat ex 70. proceribus] hoc totum disfidium retulimus. Repetii prolixe actionem omnem in Synodo discussam: Ostendi illis manum & subscriptionem hominis, illamque oculis etiam Gantnerianorum ingessi: prælegi etiam de Ministerio & Magistratu articulum sive caput ex Confessione nostra anno 66. impressa: Diploma etiam novum caussam illam complectens & pergameno conscriptum prælegi per Scribam voluimus: Placita etiam Synodalia protulimus: utque in pauca conjiciam, rem omnem adeo fideliter, præsentibus Gantneri consanguineis ejusque Socero, exposuimus, ut ii etiam qui ab ipsius partibus hæc tenus steterant, tam arrogantem hominis insaniam exhibilarint omnes: Iccirco uno ore decreverunt, nisi ad posterum & jam elapsum Martini diem obsecundarit, exularet. Quid saceret homo amens? Ingreditur 13. Novembris Senatum, qui quotidie fere ex Patribus conscriptis habetur: cumque aliarum rerum gratia forte fortuito ibidem in Curia essem, introvocatus etiam per lictorem, novam insaniam insanire GANTNERUM audio. Conquerebatur, insano clamore, se denuo in Civium Senatu accusatum falso: nullum se locum Scripturæ corrupisse, quemadmodum dixerimus. ERASMI se interpretationem secutum, cuius Paraphrases per D. LEONEM versæ Tigurique impressæ etiam fuerint; magnoque in pretio ibidem habeantur: Sibi vero vitio verti, quod ejusdem Sensum

Sensum in hac nostra controversia arripuerit. Miram hominis astutiam , qui ultimo hoc conatu Senatorum animis novas offundere tenebras conabatur: Quasi vero in Paraphrasibus quæstiones theologicæ jexpediantur ! E diverso autem me nominatim pudefacere nitebatur calumniando , me Scripturam in Synodo Sacram contra Sanctorum Patrum & omnium puriorum Scriptorum Sensum et morem allegasse. Rogatus , quo in loco Scripturæ id commissum , respondebat : Locum Pauli ad Rom. 13. de Magistratu ita me in medium attulisse , quasi hujus loci patrociniø hæretici a civili Magistratu plectendi forent. Ego recte me id fecisse Patribus denuo probabam , siquidem eo loco Magistratus Dei Minister nominetur , qui gladium ad ulciscendos malos gerat , nec frustra: Unde colligam , Hæreticos aut male non agere , aut generale hoc Pauli dictum ad certum malefactorum genus aliquod corstringendum , quod alibi Paulus (1. Timoth. 2.) neget. &c. Satis erat hoc Patribus , et prolixiore excusatione rem toties tractatam non indigere dicebant. Cum autem GANTNERUS querelas impudentes multas alias evomeret , tandem Judæorum ritu Signum Signum cœlitus devocabat , cuius indicio , uter verum sentiret , dijudicaretur ; simul etiam sine fronte minabatur , Patribus nescio quem occasum et πανολεθρίαν , si ipsum expelli tam facile paterentur. Quin potius Belliano more Gamalielis consilium adducebat , hortans Senatum , ut huic insistendo Dei consilium non antevertant , aut rem sponte casuram tantis viribus non agant. Ita autem Patrum animos hisce suis clamoribus frivolis exacerbavit , ut ii quoque qui reliqui erant ex amicis ,

amicis, in sui odium et desertionem armavit. Ita conclusum jam est nullies, ut vel obediatur, vel alium solum quærat. Colligere autem Patribus facile erat GANTNERUM Magistratus ordinem (sicuti quidam aperte dixerant) pervertere tollereque velle. Quia vero citatus coram tribus etiam Fœderibus comparare debuit, nihil tunc in illum durius actum fuit, a nostris. Cum vero super Fœdera et fortunam omnem animum gerat, adque nostram orationem, ipsius Ministerium, rusticorum favor, spesque omnis tergiversandi amplius præcisa fuisset, nihil obedientior sed induratio factus, exulare nunc potius quam ad mentem saniorem redire mavult. Hæc de *Gantnero* et *Mario*, *Christopheroque*. Ne vero hi ipsi una cum reliquis depulsis sive depellendis ministris ac hæreticis, aut etiam Communitatibus inobedientibus, porro nobis aut parem aut majorem molestiam pariant: Statutum est unanimiter a Dominis Rhœtis, ut peculiaris Magistratus constituatur, trium Fœderum numero et nomine, qui inobedientes quoscunque hujus nomine et censura in ordinem redigant, et severius, quam hactenus accidit, in illos animadvertant: idque sumtibus ipso-rum, qui se immorigeros præbent. Hoc fræno multorum furor cohiberi poterit, et si erumperet, puniri. &c. De Papistis autem nostris non minorem victoriam reportavimus. Quid enim vi et tyrannide jam plures annos Pontifex non attentavit? Misit Legationem superioribus annis minacem et criminosa cum in ministros, tum Ecclesiæ omnes. &c. Intercepit piorum multorum bona ac merces. Abripuit FRANCISCUM CELLARIUM et Romæ lento igne combussit. Conjecit

in vincula plures ex nostris nobilibus, Mediolani, Boloniæ et alibi. Expulit per Boromæum et Episcopum Curiensem ministros Mesaucieñses omnes. Conviciis crudelissimis Religionem puram quotidie afficit. Nunc vero cum nihil per nostrorum patientiam Tirannide efficere se cernit, domesticis artibus et Proceribus mancipiis sive equitibus suis, id quod vis aperta denegat, impetrare conatur. Quid enim Rhetiensi Domino potentiae dederit in omnia beneficia ecclesiastica Rhætiæ, malo te ex authentico Privilegii ipsius exemplo, ex literis cum meis alteris, pridem paratis, non vero missis, idemque ex Gadii ad Conventum nostrum Scriptis, cognoscere. Nolim autem vos dubitare de certitudine impetrati illius Diplomatis pontificii, quo Collator & Syndicus sive Procurator omnium Ecclesiarum constituitur Rhetiensis. Ita enim (ut D. Frater CAMPELLUS recte monuit) terrem illis incussimus, ut D. Conradinus Planta trepidans ad nos festinarit, seque sponte obtulerit, D. Rhetiensem lubenter Diploma sive Bullam illam majorem discerpendam nobis allaturum, modo in Præpositura illa adipiscenda (cujus duas Bullas minores legendas nobis jam antea dederat) nihil impedimenti essemus. Voluit autem oculos nostros istis Bullis minoribus perstringere nobis, quasi nihil praeter solam istam Præposituram Telliensem aspiraret, unde cum neque Ecclesiis neque Religioni nostræ periculum crearetur, saltem nihil impediamus, si auxilio illis esse negaverimus: astute dissimulans imo abjurans, nullas alias restare Bullas, nullum generalius privilegium, cuius nos tamen exemplum, sicuti vides, habebamus. Nullius ergo rem celare tantam, nisi omnibus

Bullis traditis & dilaceratis, penitus desistant ab inceptis: Proposituramque illam suis possessoribus relinquant, qui in pios usus ipsius usufructus haec tenus piorum etiam testimonio converterint. Tantæ vero fuerunt elationis & confidentiæ, ut nihil postea consciens hujus prodictionis morantes, Præposituræ nihilo secius inhiarint, & illam consequi per proceres posse considerint. Sed Dominus illorum consilia ita infatuavit, ut non modo repulsa passi sint, sed rusticis etiam hujus postulacionis turpitudo palam fieri necesse nunc sit. Videbimus, quid apud populares obtainere possit. Aegerime pauperes rusticæ dilapidata & deperdita Ecclesiæ bona pristino vigori restituent. Nunc Rhetensis Pontifex omnem culpam nobis ministris imputat, quos mentiri dicit, & dominationem aspirare calumniatur: minatur etiam dira omnia & talionem ejusmodi, quæ ipsius observantiores nos sit effectura. Mirifice enim caussam nostram juvit, sperans æquiores tanto se nos habituros, quanto nobis auxilio suo in rebus nostris accederet: ideo etiam anxie nos curavimus, ut primo caussa illa nostra Dominis proponeretur, ne si postea acta fuisset, *Plantas* illas offensas duriores nobis habuissemus. Sic Dei gratia res recte evenit, & Clarissimo etiam D. SIMLERO munus admodum honestum decretum est, quod propter diem; si res cesserit ex animi sententia, ipsi representabitur. Nolim tamen vos oblivisci, ubi & inter quos versemur nos. De *Flavio Gargano*, sicuti insertæ monstrant literæ, satis jam constat, illum esse speculatorem ac inquisitionis munere decoratum. &c. Audiemus brevi vobiscum, quid sit ea in re confectum. Nunc longius scriptionem perlon.

perlongam extendere, & Religioni & molestiæ mihi erit, cum tua negotia considero. Unum hoc denuo vobis inculcare haud erubescam, ut considerare tandem dignemini, quibus in periculis ego nominatim verser. Causa Flavii, Oratoris mihi & Pensionariorum omnium invidiam & irreconciliabile odium conflavit. Rhetiensis negotium Potentissimorum insidias tendit, Gantneri & Marii pudefactio, domesticorum civium & plebeculæ insanæ malevolentiam conciliat. Breviter ita mulitorum insidiis sum expositus, ut ubi tandem secure ambulare possim, vix habeam. Mei ergo memores indulgentissimi Patres, si non mei, liberorum saltem meorum quæso vel tantillum rationis habete; ne multis ærumnis oppressus tandem, graviore onere molestus vobis esse cogar, quam nunc cogitatione complecti possim; plura scribere nolo, 'ne Paternitati vestræ diffidere videar. Gratiæ & misericordiæ vestræ me commendo obnixe. Valete Colendissimi Patres omnes una pariter, hancque celerem exarationem benigne quæso & dextre interpretantes boni consulite.

Ocyssime 1571. 22. Novembris.

Amplitudines vestræ

Inscr. ad H. Bullingerum cæterosque

Tigurinæ Eccl. Ministros V. Cl.

Vera animi reverentia & subjectione
colens Thobias Eglinus,

* * *

S. D. P.

NON possum Viri clarissimi Patresque honorandissimi! non communes ad vos ambos literas dare, quibus & per me gaudij aliquid percipiatis,

etsi satis sciam D. THOBIAM quoque dilectissimum mihi Collegam idem longe adhuc exactius facturum. Dominorum nostrorum in Rhætia Senatus. Consultum sive Decretum ad orationem nostram petitionemque Synodi nomine coram ipsis habitam, est hoc, quo Communitates illæ in ordinem redigantur, quæ vel inter liberos Rhætos, vel in provincialibus vallibus Tellinensi & Clavennensi contumaces, ineptos vel perniciosos concionatores, a Synodo exclusos aut non receptos, retinere contra Dominorum Decretum et voluntatem perrexerint, ut Judicium a Dominis nunc in hoc ipsum constitutum, contra illas ex potestate et authoritate sua agentes, in eas animadvertant, easve puniant, quoad paruerint, obtemperarintque. Item ut MOERUS ille procax, petulansque in exilium relegatus, alio omnino extra Rhætorum directionem migret. Ut GANTNERUS denique pariter contumax Sententiae a Synodo in ipsum latæ subscribat, & per annum totum a concionandi munere abstineat: quo exacto, rursus Synodi Sententiae in ipsum, prout se interim gesserit, ferendæ stet. Quod si jam amplius subscribere renuerit, a Curiensi Senatu civitate spoliatus, denuo alibi sedes suas querere jussus est. &c. Hanc Tragœdiam vel ejus vixdum peractam catastrophen alia exceptit, cuius author est Papa, vel Rhetiensis Dominus choragus: cuius item protasis tantum etiamnum est acta, epitasi coram communib[us], ad quas rei summa referri debet, agenda; catastrophe vero rursus in Dominorum confessu ex Communitatuum voluntate & jussu exitum sortitura. Nam quum Rhetiensis Domini filius, superiore anno diu Romæ fuerit, duo a Pontifice

Patri

Patri Diplomata obtinuit, vel Pontifex sua sponte, ut in illis testatur, ea illi tradidit, vel privilegia. Quorum altero plenam ei potestatem dat, beneficia cuiusdam Præpositoriae in Valle Tellina Romanæ Sedis nomine recuperandi, imo e manibus eripiendi Guiciardorum nobis cuiusdam familiæ, quibus illa a Dominis Rhætis tradita 15. ante annis jam erant, ita ut in pios juxta evangelicam doctrinam usus impendi deberent, id quod & factum esse, locnplete sunt testes: & quibus cunque vellet, etiam filiis suis ea conferendi. &c. Altero vero Diplomate nullo majore robore munito illiusmodi potestatem illi tribuit etiam in omnia pariter per totam Rhætiā & ejus provincias existentia ecclesiastica beneficia: Judicibus, si qui resistere voluerint, ampla prædictis potestate, designatis, Comensi & Curiensi Episcopis, vel eorum alterutro: imo ut possit etiam patriarcham Alexandrinum, nescio quem, atque Constantiensem & Basileensem Episcopos invocare, qui ex injuncto sibi officio, brachii etiam secularis præsidio si opus fuerit, illi adesse debeant. Quum vero ille superioribus diebus Præpositoriae illius possessionem sola pontificia potestate fretus invadere ausus sit, Dominis Rhætis inconsultis, nec quicquam illos moratus, quum haud dubie sibi persuaserit, neminem fore, qui suæ se audiat potentiae opponere: corde nimirum & Christo hosti suo & homini blasphemō erepto, qui altero quoque verbo nihil dubitat ejus Evangelium diabolicum appellare: ecce Guiciardi hisce in nundinis Curiam de injuria conquestum accedunt & simul petitum, ut sibi jam olim traditā serventur. Cæterum quum interea in vulgus rumor manaverit

de pontificiis diplomatibus impetratis, id quod miser homo nihil minus futurum putabat, & præter omnem spem ei accidit, eo timoris pectori ejus divinitus incussi, ex subito casu redactus est, a nobis prius admonitus prorsus amice, ut ad nos tremebundus ferme veniens, vel ejus nomine fratres, se obtulerit promiseritque, se diplomata illa in nostro conspectu e vestigio discepturum, modo annuamus, ut Praeposituram illam saltem, cui uni simulat se inhibere tantopere, auferre valeat: quod quum illi ob causas non parvi ponderis negaverimus, hortati, ut a consilio desistat, ni velit magnum sibi malum conciliare, ipse tamen an caps consilii ac simul pudore impeditus si destitisset, perrexit petere, persuasus se potiori etiam parti Dominorum persuasurum: qua spe est jam dejectus, quum ex SC. res ad communitates referri debeat. Ecce quomodo & quam gloriose Deus eos, qui stulti coram mundo sunt, imbecilles & contempti, eligat, ut mundi sapientes, potentes & nobiles confundat, & in irritum eorum consilia redigat, atque per eos, qui non carnalibus armis, sed coram Deo potentibus nituntur, munitiones, & quod Christi cognitioni adversatur, demoliatur. Huic sempiterna sit laus & gloria soli. Quid munieris a Dominis tibi Domine Simlere pro libris missis, vel orum dedicatione sit destinatum, non est, quod ego scribam, quum ipsi Domini id sine dubio sint facturi; vel D. Thobias. Verum ejus loco aliud, quo magis afficiemini scio, referam: nempe quod Bergonii quoque Missa cum reliqua Romanensi superstitione ruinam manet præsentissimam, ad casum omnino inclinata: quum vir quidam haec tenus consularis ibi, nec indoctus petat a Synodo

do facultatem, ut concionatoris officio illic fungi possit, ut Missa tollatur. His spectatissimi Virti valete. Salutate ex nobis quam officiosissime D. D. Rod. Gualtherum, D. Wolphium, & reliquos bonos, quibus hæc læta communicata, & nos precibus vestris juvate.

Curiæ raptim, die 21. Nov. 1571.

Vestri semper observantiss.

Huldr. Campellus.

Inscripta fuit Epistola D. Henr. Bullingero & D. Josiae Simlero, Tig. Eccl. Antistitibus.

Idem Epistola data d. 18. Febr. 1572.

Plurii novus surrexit Academicus, nomine MARCELLUS SQUARCIALUPUS, medicus, homo doctus, qui prodigiosam istam quidvis sentiendi impune licentiam, non mediocribus viribus asserere procul dubio conabitur. Expunxit ille nuper tria hæc Citolini cuiusdam Carmina, quæ ad illustria Rhætorum insignia Gentilitia ad parietem depicta, honoris ergo adscripsérat:

Fortia Signa simul connectunt armipotentes

Tergeminos populos sociali fœdere junctos,

Solamen profugis, Felices vivite semper.

Horum loco *Squarcialupus*, cum videret Dominorum adversus hæreticos edicta, reposuit hoc suum distichon :

Est liber Christus, est Rhetia, liber & Hospes,

Este procul vulpes, dura catena vale.

Ego vero, cum hæc mihi D. Lentulus scriberet, rogavi, ut hoc meum tetraستictron Lupi istius loco ululatus legere non dèdignaretur :

Est liber Christus, est Rhetia, liber & Hospes

Sed grave servitium prodit ab Hæreticis :

Calcatur Christus, non hospes ab hospite tutus.
Rhœte volens liber vivere pelle Lupos.

TH. ICONIUS Epistola d. 29. April. 1572.
ad Bullingerum data.

MERIUS cum GANTNERO Ulmam profecti sunt vocati a quodam nobili, nimirum Suenfeldiano. Scribe quæso, si quidem Ulmensis Ecclesiæ experientiam & cognitionem habes, cupimus enim rescire, quid rei moliantur, & cuinam serviant Deo hi nostri turbatores.

Idem ad Eund. d. 15.

MAienfelda pro certo ad me scribitur MERIUM & GANTNERUM Ulmam profectos esse, nimirum ad Rabinos Suenfeldianos sive Anabaptistas: Debuissest pridem alter illorum, imo uterque solum vertere, sed nisi nos urgeamus, nihil effecti res sortitur, qui autem in hisce turbis oleum igni adderet? At sponte se recessurum MERIUS pridem gloriatus est, nec ulla expulsione necesse esse. Nimirum aut comitem GANTNERUS se addet, aut ipse quoque ad gubernacula seductorum alicubi confidebit. Nunquam ex eo tempore, quo dejectus fuit, neque concionibus solitis interfuit, neque Cœnam nobiscum celebravit. Interim patienter Mag. ipsum tulit, licet temerarium & ad turbas natum illum esse noverit. &c.

Epistola TH. ICONII ad eundem H. BULLINGE-RUM d. 25. Aug. 1572.

Quomodo autem Gantnerus noster se gesserit, ex quo Synodi Sententiam subire debuerit, nunc ordine conscribo, inque acta refero, quæ ubi absolvero,

solvero, aut inecum sumam, aut per alios ad te
 mittam: Nimirum ex illis cognosces, quantus hy-
 pocrita sit ille, imo manifestus calumniator, qui
 mendacia spargens, consilium Tiguro accersit,
 qui prius satis vociferari non potuit: *Num Tiguro*
fides nostra accersenda? Quid opus erat te obtunde-
 re? Cur homo insolens ex decreto Synodi non
 subscribit? Cur toto anno conciones non frequen-
 tavit? Cur Sacraenta nostra refugit? Cur Do-
 minis aures novis commentis & mendaciis subinde
 complet? Quid nos tanto tamque immani odio
 prosequitur, ut exspuat etiam, quotiescumque ob-
 viam nobis fit? Si recte & pure nobiscum sentit,
 quid veretur Synodi Sententiae subscribere? Cur
 suum animi sensum non aperte nobis aut ore aut
 scripto declarat? Mentitur, splendide mentitur
 homo arrogantissimus, quod unquam suum ani-
 mum nobis ulla ratione declaraverit. Non digna-
 tur nos sua facie, nec alloquio. Rogat equidem
 ut tutus manere in gurgustio suo possit: Sed cur
 id petat, experimur quotidie. Cupit habere suæ
 farinæ Sociorum receptaculum, studiose laborat,
 ut oves ab obedientia cultui Dei debita nobis ab-
 strahat. Nec coactus nuper quodammodo concio-
 nibus semel interfuit, nisi in Dominorum placi-
 tum, quod sine fronte nuper dicere non erubuit,
 & primo totis viribus multoties id recusavit. Fau-
 tor est hæreticorum, aut si non est, cur non no-
 biscum colligit? Cur non placitis Synodi sua
 manu intrepide & sincere subscribit? Synodalì
 quidem libro anno 1558. nomen suum subnexit,
 sed hoc ipsum & alii fecere, qui non levibus hæ-
 resibus se dejceps contaminarunt. Si ex omni
 parte Helveticæ Confessioni assentitur, cur ergo

Hære-

Hæreticos ab officio Magistratus eximit? Cur sexcentis erroribus sese involvit? Non opus erat Tigurum proficisci, qui in propinquuo remedium invenire vulneri furioso potuit, nisi odium novercale & arrogantia exemplo carens obstaculo essent. Gaudeo tamen & vehementer gaudeo, quod Tigurinos non amplius præ se contemnit, quos una cum MARIO, individuo ipsius comite, jam ante a ne flocci quidem faciebat. Hoc unice quæsivit GANTNERUS apud tuam Amplitudinem, ut suis blanditiis & fucatis flosculis tabellas aliquas favoris abs te extorqueret, quibus Magistratui commendatus utcunque, classicum deinceps cecinisset. Videte, ecce, rigidissimos nostros Censores! ferre me potest D. Bullingerus, qui me amice accepit & dimisit, & pro me paterne apud nostros intercessit. Isti ex affectibus omnia tractantes me occisum, me extirpatum volunt. &c. Sed ne sim longior, ex unguibus Leonem seu Lupum potius nullo negocio cognosces, si acta legeris, quæ circa invidiam vere & candide conscripsi: Scripsi autem germanice, ut & alii intelligere possint, qui ex simplicioribus mirificis mendaciis quotidie a nobis abalienantur. Quin & nunc misissem, sed desunt quædam, quæ adjicere non potui, cum media nox somnum suadeat, & aliud ex alio indesinenter me impedit. Hæc oyssime ex Musæo nostro 1572. 25. Aug.

S.

QUOD Collega meus Ampl. T. Reverendissime D. satis superque depinxit, quanta protestate Hæretici nostri sub ovilla pelle superiores indies evadant, idque horum maxime opera, qui
scien-

Scientiam aliquam præ se ferunt, aut ferre videntur; non est ut ego sexcentis aliis implicitum curis verbosius obtundam. Non vituperamus, quod GANTNERUS Tigurinam Confessionem amplexari videatur, contra quam ne ante Synodum disputatrice commississe aliquid voluit haberi: Aegre autem ferimus, quod contra Sententiam, Literas, Sigilla, Conventa, a Senatu nostro absolvitur, qui pauciores Senatui quam Synodo vigilias creavit: posthabito scando, quod ille inventit, quodque ceu mortiferum spiculum animis hominum persuasis adhuc inhærescit, pœnitentia & reconciliatione conspicua non eluitur. Persuasit homo arrogantissimus pene omnibus, se Tiguri nuper fuisse, ubi vestris consiliis imploratis responsum acceperit, satis esse, si Tigurinæ Confessio ni subscripterit. Unde, quod ducum augurabar, sequitur, nos odio ringi mero, & nolle nobis satisfieri, esseque vobis omnibus acerbiores. &c. Si ergo hoc satis est & flocci interim pendendum, quod antecesserit, nec ita agendum sit, ut ad tollenda scandala & suspiciones insontibus injectas eruendas clara revocatione & pœnitentia discrimin veritatis & mendacii ponatur, non video, non inquam video, quid in his partibus sim utilis, Malo inglorius in angulo aliquo delitescere. &c. Rogamus Tuam Amplitudinem, ut quid cum insano GANTNERO egeritis, nos quamprimum certiores faciatis. Satis mihi jampridem hæc declarasti, interim vestro patrocinio cum ille turpissime abutatur, cupimus ea de re informari, luculentius, aut enim impium hoc Senatus Consultum irritum habebunt, aut concionandi munere interdictum nobis erit. Puto autem hæc ita Deum
 modi

moderari, ut manifestentur interim occulti quidam Hæreticorum fautores, quorum operam prodesse nobis antea putabamus. Inter hos P... non immerito numero, qui unicum GANTNERUM pluris facit, quam reliquos Fratres omnes, quorum nullus est, qui *Gantnerum* eruditione aut non superet, aut exæquet. Quid autem P. urgeat aut moveat, qui reliquis stupidioribus Schola esse debebat, divinare non est difficile. Verum certum est, quod proverbio dicitur: *Cum claudis subclaudicare disces.* Si MULLERUS de GANTNERI negocio ex arbitrio & relatu P. aliquid narravit, certe imprudenter hoc fecit, siquidem quomodo res tota se habeat, plane ignorat. Nunc ea de re plura scribere supersedeo, postea brevitatem istam verbosius pensaturus. Salutat te D. Cos. *Willius*, & D. *Amber*, quibus dolet protervitas quorundam tenebrionum. &c. Ocyssime sub undis negotiorum. 1572. 24. Novembris. Curiæ.

T. Ampl.

Subiectiss. TH. Iconius.

TH. ICONIUS ad Eund. d. 2. Febr. 1573.

CUm prolixè nuper & quod res est ad vos scripsérím, arbitrabar ex circumstantiis compluribus elici posse, me respui a Pastoribus civilibus & ovibus meis, quibus hactenus non paucis vigiliis addictus fui. Aperte meam operam illis obtuli in concione XI. Jan. habita, in qua Magistratus oscitantiam, prout meruere, satis animose reprehendi, luculenter illis exposui, cum juris mei non sim, me ab illis discedere non posse, nec velle, donec justa vel dimissione vel injusta,

vel

vel evocatione aliqua avellar: Esse non paucos fidelissimos, quibus tanta irrequietorum istorum improbitas vehementer displiceat, horum etiam gratia me in officio constanter perseveraturum, quoad per homines & per Dei cumprimis dispositionem liceat. Quid autem Magistratus? Convenere XII. Jan. inque meam ejectionem consiprantes decreverunt suis suffragiis plerique, ut dimittar. Quamobrem? Ne turbas excitem, quod GANTNERI nefandam insolentiam retundere cupiam. Hinc ita argumentantur: GANTNERUS est patricius homo, pluribus gratus, civibus jucundus: hunc si nos impugnemus, civiles oriri posse motus, satius ergo esse, ut ego dimittar; & paci consulatur in tempore. Hinc improbus ille homo causa hujus mali non erit amplius, sed nos, qui malum impedire studemus. Collectis plerisque suffragiis restitit quidem piissimus Cos. Willius, ut animis divisis & iratis discesserint, nihilominus tamen pleraque pars dimissionem animo suo decretiv, tribusque quinque minatae horrendos in me clamores emiserunt, quasi conciones meae in Magistratum etiam tribubus sint intolerabiles & civibus, qui dicant, se nolle ejusmodi Magistratum, si talis sit, ferre amplius. Hoc autem maxime quosdam offendit, quod injustissimas circumventiones, quibus jam plures annos sutili moneta cudenda miseram plebeculam sefelle- runt, obiter taxarim. Quod qua ratione & occasione factum sit, egressionem istam tunc habitam, & statim post concessionem germanice praeter modum meum consignatam, tibi legendam & remittendam aliquando mitto, nam ad Acta pertinet, quae de Gantnero pertinacissimo conscribo, & quo-

modo.

modo se a Synodo gesserit, diligenter observo. Poteris ipse videre, quam non illis ansam dede-
rim me dimittendi. Sed quid moliantur facile in-
telligo. Os nobis occludere hisce minis volunt,
ne veritatem dicamus, ne Magistratum corripia-
mus, quem tamen extremis tantum labellis vix
attigimus, neque in Hæreses quicquam detone-
mus, quæ nunc libere in hac urbe triumphant.
FRELLUS enim homo & Anabaptista & Suenksel-
dianus apertus, qui cœtus nostros contemnit,
retinetur in urbe, fovetur, defenditur, libere
cum GANTNERO in publico versatur. Hisce
se accommodat MARIUS & alii quidam Suenksel-
diani, qui ad nundinas nostras advolant, conspi-
rant, miseras oves a cœtibus nostris abalienant,
mireque se huic seculo accommodantes gratiam
apud cives colligunt, jucundis & novis confabu-
lationibus, compotationibus, prensationibus. &c.
Neglectis tamen his omnibus, Servitium meum
huic Ecclesiæ obtuli: Hoc illi nolunt, a seque
me rejiciunt & in meum exilium tam imperiose &
tyrannice consultarunt. Num igitur mercenarius
essem si nunc abirem, quod tamen nisi evocer,
non possum? Num ego oves relinquo, aut re-
linquor ab illis. &c. &c. Nonne Rus-
siconenses uberrimis lacrimis me dimiserunt, cum
mihi Curiam, post crebras mutationes antegressas
proficiscendum esset? Non licet mihi decedere,
nisi a vobis evocer, aut sponte repulsus veni-
am. Sed ut ad GANTNERUM ho-
minem perniciosum redeam, dico, rem bene
se minime habere, etsi vere subscriperit, aut
subscripsisset, cum antegressos errores omnino fa-
teri nolit. Eventus enim ex caussis dependet.

Con-

Contendit nuper totis viribus se nihil unquam erroris docuisse, & tamen in dogmate Donatistico & aliis erroribus persistit, ergo, sicuti monstras, Confessionem vestram, quæ & nostra est, fucato animo recepit. Id conversatione sua, quam impune & libere nunc cum Hæreticis habet, abunde satis comprobatur. Nihil ex odio & affectibus privatis tibi scribo, scribo quod res est, idque multorum aliorum luculento testimonio. Literas commendatias, quas ad ampliss. D. *William* scripsisti, eo ipso die, quo recepit, ipsius beneficio & humanitate mihi communicatas, legi; & ago ingentes vobis gratias, qui nostri tam accuratam & indefessam habeatis curam. Sed optimus & piissimus ille Mecœnas sponte currit, & suum officium quantum fieri potest strenue obit. Utinam non nobiscum susque deque justitiae causa haberetur! Non creditis quo in loco & qua in acie stemus. Dominus largiatur nobis luculentam victoriam. Non plura in hanc causam adjiciam, sperans vos mei mature rationem paternam habituros. Locus hic mihi reliquus non erit. Quo enim animo, qua mente, qua conscientia invitis gratiæ Verbum & reconciliationis prædicarem, quod & ipsi Apostoli Judæis recusantibus ad gentes transtulerunt?

S.

CUM Clarissimus D. D. DATHENUS redire ad vos vellet, qui propter miserrimum horum temporum ac hominum statum nullo honore affetus hic fuit: nolui ipsum sine meis ad te literis dimittere. Miror quod tam raras a vobis accipiam & valde vereor ne meæ interciderint. Ita cristas suas erexit GANTNERUS irrequietissimus, ut jam

publice cum FRELLO &c. Anabaptistis conver-
tur, qui superioribus annis ex urbe ejecti, nunc
non modo reversi sunt, sed & errores suos confir-
mationibus & incrementis magnis auxerunt. Ita
vero se D. PONTISELLA uterque huic impostori
amicissimum præbet, ut fama sit nescio cuius
contractionis inter se. &c. Habet igitur impostor
ille egregios consultores, qui nimurum ipsi autho-
res sunt me in jus vocandi: quod hodie satis de-
claravit cum vadimonium a me peteret. Non sa-
tis est in errore convictum hunc esse, sed jam ne-
gat & pernegat & injuriam sibi factam jure com-
probare, hancque Ecclesiæ caussam civili sceptro
subjicere & renovare contendit. Putat ille hono-
ri suo detractum esse, quod furis similitudine pu-
blice declaravi GANTNERUM certo deprehensum
in erroribus esse. Ergo surem Christum Joannes
& Petrus vocitarunt, eo quod furis instar ad ju-
dicium ipsum venturum memoriae prodiderunt.
Sæpiissime dixi Hæreticos hos esse, qui Ecclesiæ
pacem lacerant & ἐπεροδιδασκαλίαν pertinaciter in-
vehant: Hinc nim. me jure lædet, quasi Hære-
ticum nominarim, cum tamen de pseudoprophe-
tis & falsis doctoribus ex 2. Reg. 2. secundum or-
dinem differuerim. Eo res devenit, ut si textus
aliquis me cogat dicere in seductores qualescun-
que, statim Gantneriani id in suum ducem dictum
esse calumnientur. Deus mihi præsto sit, video
enim quid agant & quibus me insidiis subruere
tentent. Video quid moliantur, inquam, qui
cives suos quibuscumque modis promovere vo-
lunt, ejjectis superbis istis Tigurinis, & quorum
numero cum primis D. Fab. Gantnero est habitus.
Respice quæso me colendissime Pater, & cum fa-

vore

vore perpendere dignare , quam nullo cum fructu
amplius in Rhoetia hæream. Puto vos ex manu
Impostoris illius & ex roboratis literis cognovisse ,
utri injuria fiat. Nunc suas sordes eluere cona-
tur jure , imo injuria , quam nobis infligere co-
natur opera conjuratorum quos habet ceu intimos
& potentes pro tribunali. Bene , perseverandum
mihi est , sed scio , quid postmodum sit futurum ,
idque ex antegressis. Nondum expectoravi , qui-
bus artibus me *Gynopedium* quidam & horum præ-
fectus olim circumvenerint & detulerint. Nunc
idem mihi expectandum , & eadem etiam fors
eveniet , nempe ejectio , desertio , nullum auxi-
lium , summus contemptus , deriso & si quæ
sunt alia , quæ nim. præ durioribus , si fieri po-
test , loco præmii eveniunt. Sed sinam infelix
hoc negocium & ad alia me accingam. &c. &c.
Vale Vir Amplissime. Ignosce quæso qui tanto
studio & dolore papyrus perdo. 1573. 14. Febr.

T. D. Subjectiss.

TH. Iconius.

TH. EGLINUS ad BULLINGERUM d. 29. Martii
1573.

DE GANTNERO mihi retulit nuper Ampliss.
D. Cos. quod meliorem mentem promiserit ,
si modo in Cœnæ negotio liber esse possit , ne-
que ad hujus celebrationem adigatur. Extat au-
tem lex patria , ut qui publicis muneribus affici-
untur , Cœnam quoque publice in cœtu celebrent.
Unde cum objectum esset GANTNERO , qua
fronte hoc auderet petere , qui hactenus Minister
fuerit , aliisque exemplo esse debebat Sacraenta
magnificiendi , respondit homo vafer & subdo-

lus: Se non satis esse paratum & probum, qui tantum mysterium capiat. Rogavit sub hæc Magistratus, quibus ergo apertis sceleribus laboraret tantopere, ut ab hoc esu abstinentum sibi esse censeret? Perrexit dicere, se non satis esse probatum nec dignum. &c. Plerique voluerunt ut manere posset, nec ejiceretur: tandem tamen datum est responsum, nisi nobiscum per omnia consentire vellet, solum verteret. Ille ad hæc minabundus cupivit provocare ad Tribus sive ad popularia suffragia civium, in quibus proram & pupim collocavit, utpote qui suorum animos bene habet cognitos. Sed vicit Sententia secretioris Senatus. Nunc exspectatur quando redeat & novas Leges Superioribus suis, quos mirifice circumducit, præscribat. Ego cum libidinem hominis Suenkfeldiani olfacerem, publice nostros edocui, quid Suenkfeldius de perfectione Christianorum sentiret, & unde hæc nausea, quam in Cœnam nostram cœpit, sibi proveniat. *Hoc fac & vives, volunt habere ante: Facite in mei recordationem.* Ergo abstinentum a Cœna argutantur, nisi quis perfectionem illam intra se sentiat. &c. Sed quæ sana sunt & ex ipsis fontibus adducuntur, parum illi curant: inaudita & rara nunc exposcunt. Inter æternum vero beatos D. PONTISELLA noster, hujus urbis Senator & Ludimoderator nunc habetur, qui ex illa diutina controversia exemptus & a Domino ex hac lacrimarum valle evocatus, heri hora media secunda pomeridiana ad Superos concessit. Ego mœstissimus illi oculos clausi. - - - Nolui illum de rebus nostris controversis anxius vexare, cum viderem satis superque illi cum morbo conflictandum fuisse. - - - Extra hanc

hanc causam Gantnerianam conjunctissimi semper
fuimus. &c. &c.

TH. ICONIUS ad eund. d. ult. April. 1573.

GANTNERUS homo seditiosus & ROTTMAN-
NUS alter Synodum nostram deferre cona-
tur apud Judicium Thusanum, quo se nuper cum
suis complicibus contulit; Sed quem hactenus fau-
torem PONTISELLAM habuit, eundem adver-
sarium nunc habebit. Agnoscit enim nunc PON-
TISELLA & nuper apud D. Cos. fassus est, **d**er
Gantner **s**he **e**in **r**echter **L**ur. Quasi vero non du-
dum id fuerit compertum. Cum Dei honos peri-
clitaretur, nihil belli isti movebantur; sed nunc
cum hominum honos nonnihil læsus fuerit, in
conspiratione quam movit G. cupiunt se ulcisci.
Sed crede colendissime mi Pater, indies sibi GANT-
NERUS adducit & applicat discipulos, qui sum-
mis viribus se nobis opponunt, ut expellamur,
ita dementantur ab isto præstigiatore. Nunc de-
mum fabula aut tragœdia a principio tractabitur,
si controversiam istam cupit persequi. Volunt
Synodum nostram antevertere, quod statim post
Trinitatis erit. Vale. Cætera alias. Mirum D.
LAVATERUM blaterationibus falsissimis istius ho-
minis ita captum suisse, ut veritatis scopo quem
ad vos miseram relicto, fere credidisset injuriam
GANTNERO factam suisse.

THOBIAS ICONIUS in Epistola ad H. BULLIN-
GERUM Eccl. Tig. Antist. data 8. Junii 1573.
de Gantnero hæc habet.

Quid vero de GANTNERO ac MARIO σπίλοις
istis καὶ μωμοῖς nostris fiat, jam antea tibi
scripsisse, nisi te ad nauseam usque illorum me-
moria
K 3

moria Rottmanniana jam pridem divexasset. Synodus nostra non admodum frequens fuit, partim quod plures sunt veriti, ne suspicionem quibusdam importarent, quasi strigum instar turbas praesentes cupiant & vellent exasperare: partim quod Ingaddienses pene omnes cœli inclemensia, quæ tunc temporis vehementissima oboriebatur, præpediti fuerunt. De MARIO tamen & GANTNERO hominibus arrogantissimis, constitutum est, quandoquidem pervicaces ac immedicabiles esse pergent, & Synodum accedere non modo non voluerint; sed & ipsam, si fieri possit, e medio tollere, suis artibus ac convitiis, quibus illam indies magis magisque gravant, conentur: ut primis quibusque comitiis, quæ consueto ordine celebranda Dominis veniant, Ampliss. Rhætorum Senatui magno studio deferantur, nova que accusatio in illos instituatur, qua aut in ordinem redigantur hostes illi Ecclesiæ: aut ubi minus id Synodus impetraverit, omnem illius authoritatem tollant: Literas, Privilegia, Confirmationes, Diplomata nostra, quibus Rhætorum concessu Synodus nostra hactenus munita fuerit, ad se recipiant, utpote nihil neque auxilii nec authoritatis hinc inde nobis exspectandum. Sic Pontificii primorum nostri & sacrifici triumphabunt, utpote qui ejusmodi opem & effectum sentiamus a Mag. nostro, ut necessarius et laudabilis Synodorum nostrorum usus inter nos intercidat. Sed fratres aliter facere nequeunt, qui singulis tamen annis semel e longinquis regionibus confluunt maximis sumtibus et laboribus, qui deinceps, si quid a nobis decretum, a Mag. confirmandum et efficiendum fuerit, omnes susque deque habiti & negligenti

glecti evanescunt. Possumus facile hoc labore et hisce sumtibus ceu pauperes supersedere. Regant ipsi et Scepturn et Ecclesiam , pari nimirum dexteritate. &c. Instigavit MARIUS complures ex rusticis suis Rhucantiis , ut sine fronte clament : Nolumus Conventus & Synodos istas ferre amplius : Cur non domi Pastores desident , ad quid ita concurrunt ? &c. Ad quid ? Deum immortalem ! nimirum , ut exhaustos reportemus loculos , & in via ubique miseri defatigentur. Parum his tanguntur nostri illi nebulones , qui tuti domi latitant , et conquirendi studio interim tenentur , dum nostra nos consumimus pro afflita Christi Ecclesia. Nec ullus tamen Magistratus tanta pietate est erga Deum , ut patronos istos Hæreticorum omnium , dignis tractet modis : Oscitanter patitur scandalum quod ab ipsis indies ponitur : Cum neque nobiscum communicent , Conciones nunquam frequentent , omnemque Religionem ac ritus nostros odio habeant , quorum professores tamen antea extitere. Hinc colligit imperita multitudo , si qui pastores esse debent , cœtus Sacros refugiant , quid nos igitur circa hoc studium occupamur ? Hinc talis impietas , tanta dissolutio hanc nostram urbem et Ecclesiam invasit , ut verbis exequi vix possim. Hoc mecum testabuntur non pauci , qui miserrimum hunc statum deplorare quidem , sed immutare minime possunt. Aequo diutius connixerunt quidam contra latrantem suam conscientiam , qui nunc quidem nobis iterum videntur accedere , et *Gantnerum* deserere , sed rebus ipsis desperatis , et suis honoribus tm. consulentes , quos saluti Ecclesiæ prætulere. Tardius Anabaptista , qui filium suum privignum nuper transfo-

dit, qui que non minus quam FRELLUS ille a G. defensus fuit, pro latrone proscriptus est. Egregium hic educavit alumnum Patronus ille, se certe dignum. FRELLUS antequam peperisset uxor ejus, recessit iterum alio, quasi hic nondum sit tutus, sed eventus edocet, idcirco id factum, ne cogeretur filiae suae lustrale officium a me impenetrare. Haec sunt ejusmodi artes quae nostris pulcre arrident, modo dolorem nobis afferant, ex quibus ipsi summam voluptatem capiunt.

TH. EGLIUS. ad *Eund.* d. 9. Novembr. 1573.

GANTNERUS, qui se turbis istis et novo Fœderi immiscuit, seque cum aliis ceu ducem & oratorem Magistratui suo legitimo opposuit, IV. libris tantum multatus est, ita tamen hinc inde exasperatus fuit, ut si licuisset, ad alios lubenter provocasset: unde non parum invidiae sibi contraxit et iræ ab illis ipsis, quorum favore nimium est hactenus usus. Interim totus est atheus, atque jam intra anni spatium cœtibus sacris nec Cœnæ unquam interfuit.

Idem ad Eund. d. 23. Novembr. 1573.

S.

Quid cum GANTNERO Schismatico 14. Novembr. actum sit & quam expresse se partibus Anabaptistarum aggregaverit, ex Consignatione D. Conf. nostri, sua manu conscripta cognoscite, quam proxime remitti cupio, ut ultimam o si! actionem illam Actis meis subnectam, et compendium tandem aliquando ad vos mittam. Judicate vos nunc, colendissimi Patres, quid homo ille arrogantiissimus Ecclesiæ eo usque nocuerit,

et

et Reip. qui vinculum hoc sanctum et religiosam affirmationem e medio tollere conatur.

S.

Reverendissime D. Pater, tuas omnes diverso tempore ad me scriptas, una cum actione Gantneriana, & novis Belgicis & Gallicis, bona fide curatas accepi. Gratias autem maximas ago, quod in mediis tuis negotiis vehementer occupatus, scribendi ad nos munere minime supersedes. Nos quantum possumus rebus novis ex Italia conquirendis tibi vicissim gratificari studemus. Præterea per D. *Hallerum* fori hujus nostri caussas actas mittere nunc pergitus. Plura interea alia exstantia mihi fuere, ideoque remissiores aliquantulum in re incœpta extitimus. Proxime extremas actiones mittam Domino volente. Hodie Sententia in GANTNERUM lata a frequentiori Senatu confirmata est: & puto illum ejectum iri, solum manentibus hic liberis & ejus uxore. Non recedet longius a suis, quos seduxit, discipulis, ut divexare nos commodius possit. MARIUS etiam Momus ille molestissimus ex dominio trium Fœderum ejicitur, & spatium ex gratia ei concessum ad ferias istas Nativitatis Domini terminatum est. Cum enim in ultimo tumultu rusticorum, rogatus a suis esset rusticis, ut sibi eruptiones ejusmodi arridarent, improbe & arroganter regessit: Quid mihi & quomodo arrideant? Vos Rhœti nullum unquam egregium commisisti facinus. Rustici ingenium & calumniam hominis admirati, objecerunt illi & memorarunt quædam egregia Rhætorum patrum facta olim: Ille subnectens auxit suam calumniam: Ejusmodi esse hæc quæ laqueum

um commeruissent. Hinc inde delatus apud novum Præsidem D. I. *Georgium a Marmore*, retratatis istis calumniis exilii sententiam subire coactus est. Dolet mihi, duos istos non indoctos alioquin, quiq[ue] egregiam Christi Ecclesiis operam navare potuissent, tam turpiter se dedisse, ut gaudendum potius sit quam dolendum, si ad extremos relegantur Indos, ne suis erroribus, quos tacite fovent partim, partim in alios emittunt, plures secum involvant. MERIUS in Sabbati Religione ita levem se præbuit, ut plerosque suæ vallis rusticos eo deduxerit, ut nullum observent inter dies festos & alios dies discriminem, sed perinde festa luce laborent atque in aliis certis tamen temporibus, sed minime necessariis. Minatur etiam se contra quosdam ex neotericis, qui de Sabbatis scripserunt, intra decennium scriptorum, illorumque varios errores in apricum prolaturum. &c. Sed quid te obtundo ingenii istis heteroclitis. Rogamus Deum O. M. ut te lumen suæ Ecclesiæ ardentissimum & illustrissimum luce re quam diutissime concedat. Resalutant te omnes nostri, quos salvere jussisti, tibique hunc annum ineuntem optant cum primis felicem & beatum. Ocyssime ex Musæo nostro 1573. d. 29. Decembris.

Tuæ Præstantiæ
Subjectiss. TH. Iconius.

Idem ad Eund. d. 2. Jan. 1574.

GANTNERUS perstat in suo proposito & loco & correctionem pollicetur, si prius restitutus fuerit, non autem se rectius sensurum, ut possit restitui. **D. CAMPELLUS** veteranus Christi miles,

les, homo doctiss. & piissimus veniam & missio-
nem nuper in Senatu petiit & accepit, & ad nun-
dinas futuras hinc discedet. Miraris causam? Sunt
plures: at præcipua, summus Dei contemtus qui
hic regnat, & hominum ingratitudo, qui S. hunc
Virum ita conspuerunt, ut manere amplius ne-
queat, cum oves pene nullas habeat, a quibus
audiri possit. Insidiantur illi juniores quidam,
quibus hactenus derisui & contemtui fuit.

Huc pertinent, quæ habet ejus Epistola d. 15.
Febr. 1574. ad eund. data.

Optimus Frater CAMPELLUS insidiis petitus &
ludibrio habitus, omnino molitur discessum.
Inefficaces meæ cum illo expositulationes fuerunt
hac ipsa de causa, cum non desint neophyti, qui
tantum virum, nec adeo certe infelicem, & vitæ
sanctissimæ hominem, remotum volunt, ut suæ
superbiæ suisque insidiis optatum eventum nanci-
scantur. Quoties ego vidi risibus excipi ipsius
conclaves in medio templo a juniore PONTISEL-
LA, qui præ se omnes contemnens, hujus Eccle-
siæ & Reip. proram & puppim in superbulo &
sublimi suo cerebello collocatam esse falso existimat.
Plura nec dicam, nec scribam, olim ab ipso Fra-
tre intellecturus, eosdem ipsius discessus auctores
esse, quorum inconstantia in negocio & contro-
versia GANTNERI abunde hactenus fuit declarata.
Primo rejectum GANTNERUM voluerunt, dein-
de iterum receptum, nunc iterum rejectum, ut
suis rebus, remoto etiam *Gantneri* successore,
præter omnem Synodi ordinem & morem confue-
tum, maturius & callidius consulant. Rumor
hic, nec sine capite percrebuit, JO. BRUNNE-
RUM,

RUM, Ecclesiæ vestræ alumnum, in Antichristi
castra transfugisse & Ingolstadii in Professorem a Pa-
pistis adlectum. Puto te jam intellexisse quis ex-
itus fuerit uxoris meæ caussæ turpissimæ: Convi-
eti fuerunt duo, quorum alter ex ordine Senato-
rio est, qui hujus nefandæ criminatioñis authores
extitere. Finis his fuit propositus nobis ejusmodi
infamiam & maculam aspergere, qua civium ani-
mos a nobis alienarent, inque GANTNERI fa-
vorem transferrent, quem tunc temporis, cum
ejuscemodi calumniæ non absque multis & præ-
claris authoribus orirentur & spargerentur, me
sub prætextu læsi Magistratus rejecto, unice pro-
motum & restitutum voluerunt. Quantopere ve-
ro sævitum sit in nebulones ejusmodi, eventus
abunde declaravit, cum ne carceris magisterio di-
gni sint judicati. &c.

Idem ad Eund. d. 29. Martii 1574.

IGnosce quæso, si de GANTNERO semper ali-
quid aspergo. Heri D. PONTISELLAM gra-
viter decumbentem invisi, domum revertentem
comitatur me filius ipsius, quem cum rogarem,
quid nuper in Senatu cum GANTNERO actum
esset, audio, denuo nunc GANTNERUM esse
paratum Confessionem nostram accipere, idque
vel juramento etiam approbare, tantum se petere
ne juramento ad Cœnæ peractionem adigatur, in
cœteris se omnibus satisfacturum & reliquos offi-
ciis superaturum. Dicebat Cos. *Willum* remissius
& lenius æquo cum homine isto egisse, postquam
promissiones istas audivisset. Et quicquid hic pro-
mississet, in spem factum esse, posse D. CAMPEL-
LO iterum succedere. Si deinceps restitueretur,

me

me talem non laturum , nec juxta ipsum concio-
natum , unde hac occasione in meum locum
irrepere posse , alium autem ipsi succedere. En-
Reverendiss. D. Pater istorum hominum cogitatio-
nes , artes , metus & solicitudines. Nesciunt quid
agant , quid moliri & machinari debeant , ut ipsam
Ecclesiam occupent sub pœnitentiæ specie , quam
deinceps pro libidine tractent ac evertant. Mihi
interim varia pericula creant , insidias struunt ,
maledictis me petunt , traducunt , deferunt &
omnem lapidem movent , ut Senatus & populus
alienor indies mihi fiat , tandemque falsis accusa-
tionibus exagitatus cogar stationem meam desere-
re , vobisque onerosus & ingratus esse : Huc om-
nes suas curas convertunt & comportant , & in
publicis locis aperte congregati consilia sua confe-
runt , quod certe sine maximæ Senatus partis
beneplacito fieri nequit , cum nemo sit qui con-
spirationes istas cupiat vel verbo attingere , ne-
dum impedire. Dicebat etiam junior PONTI-
SELLA , se sæpiissime obvium fieri *Gantnero* &
suis complicibus , & nuper GANTNERUM dixi-
se : Se *Calvini Libros* lubenter legere : Tigurino-
rum vero nauseare , denn wenn er so 1. Blatt oder
zwey läse ; So wüsse er noch nit den Sensum oder
was sy wollind. Deum immortalem ! nisi ego
Tigurinus essem , forsitan hæc in sanctos labores
& vigilias vestras non evomeret , arrogantiss. odio
turgens homo. Sic stimulis hisce suis apposite
MARIO suo accedit. Vide quam vere sese offe-
rat , Confessionem nostram se recepturum , qui
Tigurinorum Scripta nauseat & omnibus sannis
excipit , & traducit. Fieri potest , ut is qui mihi
hæc ore hostili retulit , me ita in GANTNERUM
instigare

instigare & incendere voluerit, quo melius ipse quod sperat consequi possit: Videntur enim esse rivales. Es laſt ouch Gantner gegen dem Sommer sein Haar wider wachsen, welches er gegen den Winter lassen abschneiden, und ein beschorner Bub worden, als der sich v̄sgethan, sich der Kiltchen nüt mer zbladen, sonder ein Ley fin.

Idem ad eund. d. 27. April. 1574.

NIhil prorsus tibi amplius de GANTNERO scriberem, nisi ejus pertinacia & crītæ tantæ essent, quæ deprimi a Senatu nostro non possunt. Nudius tertius praesus sum cum præfecto Dietegio, cui prandio D. Cos. Ambrosius quoque interfuit, is de hominis obstinacia sermonem faciens dicebat: Superior nobis & fortior omnibus evasit. Jussus est vertere solum; recusat id facere, commissus est præfectis & lictoribus nostris, nemo illum vult attingere. &c. Et hoc Dei justum est iudicium, ut succrescens zizanium triticum tandem suffocet. Recte Lupo ovem commiserunt, aut potius lupum lupis. Est mos patrius, ut politarchæ sive præfecti nostræ urbis damnatum aggrediantur, capiant & lictoribus tradentes, in vincula conjiciant: at hi summi amici sunt GANTNERI. Colludunt ita inter se, sed metuendum ne lusus ille et jocus asperum sortiatur eventum.

Idem ad Eund. d. 18. Maii. 1574.

Dicitur GANTNERUS bona sua mobilia & immobilia hastæ subjicere. Vendidit suas vacas. Villam quoque auctione vendere non dubitare. Sunt qui 1700. aureos pro ea numerare vellet, sed qui plus licitentur, homo avarus expectat.

pectat. Quo sit migratus ignoro, sequetur forsitan MARIUM, qui dicitur in Palatinatum profectus, ubi conditionem opimam nactus sit. Miror si Heidelbergenses istos homines ferant, a quibus nobiscum non uno modo damnantur, et quibus non levis conflictus fuit hactenus ab ejusmodi capitibus. Si rem agit seriam GANTNERUS pessum ibit: sin secus, tanto nocentior nobis, quanto simulatione existet. Ego, ut quid sentiam libere fatear, vix possum credere, hominem tanto suorum favore munitum, alium sollem quæsiturum. Non deerunt tamen Casparis Suenkfeldii propugnatores, qui hunc Bernhardum Rotmannum avide sint excepturi.

Idem ad Eund. d. 25. Maii. 1574.

Mera est collusio quam GANTNERUS agit, simulavit se solum versurum, & ideo vaccas vendidit, ut majora sibi comparet. Hinc nostri ita sunt perculsi, tamque saucio animo hoc ipsius propositum acceperunt, ut liberum illi fecerint hic subsistere, etiamsi a Coenæ Christi participatiōne abhorreat, eaque re satis declareret, quam a nostra Confessione sit alienissimus factus. Putant facile illum tolerari posse, modo neminem in suam opinionem secum trahat. Quasi vero Ministri exemplum, etsi mutus etiam fuerit, adeo enorme et impium, impietatis aliis majoris non sit futurum scandalum & corruptioni. Potius nos expellerent, quam lupum ipsum callidissimum & vafrum. Mirarique non desino, quo tandem tanta impietas & inconstantia in istis hominibus sit eruptura.

Idem

Idem ad Eund. d. 14. Junii. 1574.

CUM ante menses aliquot D. CAMPELLUS veniam a Dominis peteret, et dimissionem, rogatus ab ipsis ut maneret, mansit & in officio voluit pergere, sed 9. Junii præter omnem expectationem in ipsius locum Junior PONTISELLA electus est: quid ego sentiam, & quibus artibus hoc sit effectum proxime scribam: Iisdem artibus GANTNERUM quoque, qui in hæresi sua pertinaciter pergit, in meum locum laborant subornare. Non potuerunt hi ferre concordiam nostram, quam incorrupte servavimus; hinc illa repentina mutatio. In quam me miseriam deje- ceritis brevi patebit. Si meum habere volunt ju- dicium de alio paedagogo creando, præ cæteris D. MULLERUS mihi in ore erit, hunc mea vox eliget, et nullum aliun, si modo velit.

*Idem d. 13. Julii. 1574. ad Rodolph. GUALTHE-
RUM, Tig. Eccl. Episcopum ad D. Petr.*

S.

RUMOR hic percrebuit, et non a paucis confir- matur, Venerandissime Domine, GANTNE- RUM nostrum, hujus Ecclesiæ pertinacem per- turbatorem ad tuam nuper Humanitatem venisse, et nescio de quibus omnibus conquestum, quæ ad controversiam veterem, quæ toti Synodo cum illo intercessit, spectent. Te ergo, colendissime D. Pater suppliciter rogamus, ut maxima facere non dedigneris: Licet enim nescii non simus, ho- minis illius vafritiem et perversitatem vobis per- spectam esse: novis tamen calumniis nos obrue- re et ad majus indies certamen nos provocare adeo non cessat, ut oculatores vigilantioresque indies

indies nos reddens, in officii a vobis Patribus nostris venerandissimis suppliciter petere, non simus veriti. Cognoscetis ex historia hujus certaminis, quam improbitas et calliditas hominis mihi invito nunc extorquet, quid monstri nunc alat, quidve suis ubique querelis partim fictis, partim vero callide detortis quærat, urgeatque. Hæc ab aliis Fratribus jussus sum ad te scrbere Reverendiss. D. Mecænas: idcirco rogo brevitatem meam æquique bonique consulas, ita enim nuncius ille abitum maturavit, ut plura subnectere fas mihi non fuerit, aut integrum potius. Curiæ ocyus 1574.
13. Julii. Colendissimos nobis omnibus D. Patrem Bullingerum, D. Simlerum, D. Hallerum & cæteros. omnes salvos cupimus. Tui nominis
præclarissimi

Studioſſimus THOBIAS Eglieſ.

Idem ad eundem GUALTHERUM. d. 20. Jul. 1574.
S.

REverendissime D. Pater, et mihi Mecænas singulari observantia Colendissime, non miraberis multum, quis tam cito GANTNERI nostri querelas disseminaverit, quas apud te deponere homo impudens non erubuit: Si hominis illius ingenium probe perspectum habeas. Ut enim in corruptis officinis porrigitur quid pro quod; ita ex familiari illo vestro colloquio, multum gloriatus, frumentarios nimitem nos traximus, et quos sui ad nos reditus et itineris socios & comites habuit, vanis rumoribus et thrasonicis gloriationibus adeo nimitem imbuit, ut vix urbem ingressis, ejusmodi rumusculi aures nostras vulnerarint. Conquirit perversus ille homo undique sibi consilia &

auxilia ; quibus et Magistratus et civium oculos
 callide et veteratorie , nec sine viribus additis præ-
 stringat , nobisque odium majus concilians , sub
 pietatis simulatione rem suam agat , seque in Mi-
 nisterium malis artibus , invito & dejecto me igno-
 miniose intrudat . Utque in hac omnis doli et
 malitiæ palæstra valde industrium et indefessum se
 præbet ; ita ne latum quidem unguem a perverso
 et hæretico suo dogmate discedit . FRELLOUM
 suum semper cupit defensum , a cuius tamen opi-
 nionibus abhorrere se omnibus persuadere moli-
 tur . Quasi vero pestes ejusmodi non sint tanto
 nocentiores , quanto sub innocentia pallio vene-
 num suum occultare magis student . At non opus
 est actum agere , teque pluribus obtundere , legan-
 tur ea , quæ in Synodo illa , quam homo petu-
 lans præter omnem rationem et meritum calumni-
 atur , sunt lecta , dicta & facta , et tandem etiam
 ab Ampliss. Rhœtorum Senatu publico Sigillo ro-
 borata : nec difficile cognitu erit , quam lente et
 fraterne cum heteroclitio isto capite egerimus . Equi-
 dem hac sua de zizaniis non evellendis concione ,
 cuius apud te fecit mentionem , Anabaptistarum
 deliria et manifestos errores quasi ex professo ita
 propugnandos suscepserat , ut F. M. D. PONTI-
 SELLA , qui huic concioni tunc interfuit , vix
 et nevix quidem sibi temperarit , quin in medio
 cœtu sese obloquendo opponeret . Hæreseos vero
 suspicionem sibi auxit GANTNERUS , cum in
 Synodo manifestum Anabaptistam & incurabilem
 Seductorem excusaret : utque hoc commode pos-
 set , basin ipsam , qua nituntur omnes fanatici ,
 et clypeum , quo se tuentur , multis contentio-
 nibus defendere conaretur . Cum enim hominis
 illius

illius arbitrio nemo ad bonum et veram fidem co-
gendus erit, nonne habent isti novatores, quod
votis omnibus expetunt? nonne sub hoc clypeo
tuto delitescere et totum orbem tandem inquinare
impune possunt? Si vero homo impudens et vafes-
tam temere calumniatur, quasi inique secum in
Synodo sit actum, cum nihil erroris sive venenii
suxerit, neque haereticis nostris assentiatur: Cu-
r ergo hunc animum, si ab hac labe adeo immu-
nis est, post Synodum non exeruit? Cur Magi-
stratui, cum cives suos nuper in fidem acciperet,
fidem ille eidem denegavit? Cur Juramentum
παντὸν ceu Mosaicam tyrannidem et coactionem
liberis hominibus minime dignam calumniando
respuit? Mis̄i hujus impudentiae et temeritatis exem-
plum manu D. Cos. Willii in rei memoriam scri-
ptum ad D. BULLINGERUM, qui et processum
causae hujus a fratribus accepit: a quo singula,
si tibi opus et otium esset, sciscitari posses. Cæ-
tera quæ hominis illius irquietum animum et os
impudentissimum arguunt, ex Historia, quam
nunc contexo, suo tempore cognosces. Quid
multis autem? Non multum ante quam Basileam
et Tigurum ad vos descenderet, ad juniores PON-
TISELLAM dixit (apud quem etiam vigilias ve-
stras, et sanctissimos doctissimosque labores, ceu
essent quædam σκύβαλα, odiose carpsit) se in sua
opinione constanter aut pertinaciter potius mansu-
rum, non enim deesse sibi solidas rationes, qui-
bus armatus, denuo nobiscum in arenam descen-
dere posset. Interim virus suum callide dissimu-
lans, in publico, quo crebrius utitur, et sin-
gulos cives prensare, inque sui favorem inflectere
non cessat, sibi injuriam a nobis et vim fieri con-

queritur. Utque brevius dicam, Protheos instat et chamæleontis ipsissimus vertumnus, omnia ex insidiis agit, monstra cum suis, quos ex procēribus indies dementat, alit. Si quo modo vindictam cogitans, solo me extrema cum turpitudine remoto, classicum canat, triumphos jactet, hocque vix partum et exantlatum ovile pro libidine sua regat, seducat et perdat. Huc tendunt hominis illius nobiscum summa distractio, arctissima vero cum Suenkseldiis omnibus, et maxime cum Gabriele Krættlio, hujus hominum furfuris summo patrono, necessitudo et familiaritas. Hinc querimonia illa, quod talentum suum ad ædificationem suæ Ecclesiæ impendere non liceat, cum se cumprimis, damnatis aliis, ex Casparis sui præceptoris magisterio, pro idoneo maxime ministro habeat. Rectissime autem consulisti, Condissime & doctissime Vir, ut opinione sua intolerabili abjecta, cum fratribus, quos ille omnes hostium numero et loco habet, ex animo nec simulate, ut antea fecerat, in gratiam redeat. Hanc unicam medicinam esse huic morbo salutarem, tam bardus ille non est, ut non jampridem cogitarit: at coram te non sine caussa quædam ambigue, multa odiose, plura minaciter respondit: his enim armis ut hactenus contra nos pugnavit, ita contra tuum paternum consilium, se pugnam omnibus viribus instauraturum, satis ostendit. Non satis est ei, animi sui morbum et odium pertinax cum haud ferendis erroribus conjunxisse, nisi etiam in concepto odio et errore contabescat. Quibus modis igitur ampulla illa difflari et lucrificari poterit? quæ suos saltus devios tantum non agnoscat et expectoret, ut in eis

indies

indies magis magisque implicari confirmarique videatur. Nullo in illum privato laboramus odio, sicuti odio in nos vatiniano de nobis spargit : Sed quod fecimus ex officio , Ecclesiæ lacrymas respicientes , fecimus. Gloriosum et magni animi indicium nobis esse videtur , in ira remittenda adversarium prævenire , nec rogari , sed veniam potius rogare velle : Sed quid agamus , ubi culpa non agnoscitur ? ubi omnis lucrificiendi hominem occasio nobis præciditur ? ubi omnia ex composito et insidiis , quibus Collega quoque jam meus homo pietate et doctrina præstantissimus , improbe , præterque omnem rationem et meritum suum , statione sua excidit , nobiscum aguntur ? Cur GANTNERUS non audit bene sibi consulentes ? Cur oculos et aspectum suum nobis invider ? Cur nos per urbem hanc totam traducere , dicteriis et calumniis nos cruentare et proscindere laudi sibi dicit ? Cur cœtus nostros ceu noctua lucem refugit ? Cur Sacra menta ministerio nostro celebrata ceu aspidem exhorrescit ? Quid sibi vult obstinacia illa , et obfirmata improbitas ejus , qui singulariter tamen candorem et animi sinceritatem præ se cupit ferre ? Num laceratæ Ecclesiæ facies suadet , ut in ultimum ipsius exitium polypum ejusmodi pectori nostro applicavissimus. Cuperemus ex animo viam et modum lucrificiendi hominem talem nobis ostendi , qui ipsi et salutaris et Dei honori et Ecclesiæ non adversus esset. Utinam homo ille consilio tuo prudentissimo pareret : at non ideo consilium cum abs te , tum a D. Bullingerῳ prius , petiit , ut id sequeretur : Sed ut ex ore vestro recte aliquid prolatum , sinistre apud suos illos detorquere , augere , minuere et

prout sibi commodum fore videtur, consiliis vestris fere paternis contra nos abuti possit. Hoc spectat magnus ille Propheta. Quid autem hinc inde etiam colligeremus, quod nunc Sulzeri quoque favorem et amicitiam ambit, qui huc usque etiam nonnisi ex Erasmi, Franci, Castalionis, Brentii &c. libellis negocium nobis faceisse studuit. Lynceum esse oporteret, qui Vertumni hujus ingenium satis velit perspicere, et occulta illius consilia, quae semper nobis quam longissime remotis cum suis proceribus commiscet, investigare. Finem igitur scribendi faciam, D. Pater colendissime, et Deum Patrem indesinenteribus precibus rogado, ut te suæ Ecclesiæ et nobis omnibus ceu singularem Mecænatem quam diutissime incolument conservet. D. Willius, quem hodie conveni et reducem ex thermis Fabariis salutavi, salutem tibi officiosissimam ex animo adscribit vicissim. Cum hæc absolvissem, venit ad me D. Collega CAMPELLUS, cui antea quoque tuas legendas miseram, et suam super hæc omnia Sententiam ad me fert: nolui et illam te celare, quam tamen ubi commodum fuerit, aliquando remittes. Ex quo rediit Legatus regius, bellicus fit apparatus, et militiam, cui se nostri vendiderunt, per sequentur inceptam. Deus se nostri misereatur, qui scientes et volentes innoxium sanguinem fundimus. Tibi me honorandiss. D. suppliciter commendando. Curiæ Rhæt. 1574. 20. Julii.

Tui nominis præclarissimi
studiosissimus
Thobias Eglinus.

TH.

TH. EGLINUS d. 9. Aug. 1574.

Altas radices jam nunc egit hæreticissima illa opinio GANTNERI, neminem ad fidem esse cogendum, requiri cor spontaneum. &c. Hanc pulchre Magistratus imitatur & neminem cohercet, plusque occupari videtur in pseudodoctoribus amplexandis, quam vigore suarum Legum conservando & exerendo. Quid aliud igitur sperandum nobis, quam extremum malum, cum præsenti nihil moveamur, ut Dèum punientem majori reverentia colamus? - - - D. CAMPPELLUS crastino Davosium discedet, ad conducendos equos onerarios, quibus suppellex imponatur ejus. Dominus bene vertat omnia!

T A N T U M.

